DE HEROIDUM OVIDIANARUM EPISTULIS QUAE VOCANTUR COMMENTATIONES.

AGITUR IMPRIMIS DE DIDONE, PHAEDRA, PENELOPA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

TRADIDIT

FRIDERICUS EGGERDING
NORDHUSANUS

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSIT EHRHARDT KARRAS
MCMVIII

Mit besten Dank u. Grüßen
v. Verf.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit O. Kern.

Examen rigorosum habitum est Kalendis Sextilibus h. a.

= Diss. phil. Hal. vol. XVIII (3).

OTTONI KERN

SACRUM.

Caput I.

Septimam heroidum „epistulam“ et in singulis rebus verbisque a Vergilio[1]) (Aen. IV et I) pendere quoniam non modo apertum est, sed etiam a viris doctis satis est probatum,[2]) sescenta huius necessitudinis exempla denuo exscribere supervacaneum est — quamvis hic illic plura possimus componere.[3]) Utilius

---

[1]) Nota sunt praeconia Aeneidos Nasoniana: am. I, 15. 25; a. a. III, 337; rem. am. 395. Ad imitationem spectat hoc imprimis deprecantis poetae: trist. II, 535/6 (rem. am. 57/8), cf. etiam Senecae suasor. III, 7.

[2]) Cf. e. g. editiones Maronis Ribbeckianam (ind.), Palmerianam heroidum (Oxon. 1898). — J. N. Anderson, Diss. Berol. 1896: On the sources of Ovids heroides I, III, VII, X, XII, p. 48—76. — A. Zingerle, Ovid und sein Verhältnis zu den Vorgängern und gleichz. röm. Dichtern, Oenip. 1869/71, tom. II, p. 54.

[3]) Satis erit versuum numeros attulisse: Ov. 3 sq. ∼ IV, 519 sq. 413—415; 5 (cf. 97) ∼ 315 sq. 322; 7 ∼ 288. 554. 564. V, 2; 10 (cf. 15 + 146 sq.) ∼ 311. 350. 361. 381 (cf. Conington (ann.) de sequendi verbi notione); 11/2 ∼ 86. 374. 597 (+ tangere 596) I, 298. 366. 421 sq. 437. 572; 13/5 ∼ 350. III, 495/7; 16 ∼ 311; 17 ∼ 347; 23/6 ∼ 1. 66. 68. 83. 465/6; 27 sq. ∼ 428 sq. 438/40; 33 ∼ 192 (+ 536); 34 ∼ 1. 5. 332 (cura); 35 sq. (— 39) ∼ 365 sq. (12!) I, 617; 40 (+ 73. 141) ∼ 51/2. 309, sed cf. 562; 46 ∼ 314; 49/50 ∼ VII, 27. V, 819/21 (cf. I, 142 sq.) X, 103; 55 ∼ (81. 580) 562; 61/2 < 381 sq. 592 sqq. 662 sq.; 64 ∼ VI, 457; 65 sq. ∼ 382; 68 ∼ 308; 69 ∼ 384 sqq.; 73 ∼ 430; 78 sq. (+ 122) ∼ 598 sq.; 83 ∼ II, 738; 88 ∼ I, 755/6. V, 626; 89 sq. (+ 172) ∼ 373. 214 (+ I); 91/2 ∼ 171 sq. 221. 322/3. 550; 93 sq. ∼ 169 sq. 120. III, 194; 95 sq. ∼ 165 sq. (+ 667. 609. XI, 662); 97 sq. ∼ 15 sq. 322. 552; 99 sq. ∼ 457 sq.; 101 sq. ∼ 460 sq.; 112 ∼ 653; 113 sq. ∼ I, 346 sqq. IV, 21 sq.; 115 ∼ I, 357. IV, 211; 118 ∼ I, 367/8. IV, 211/2; 120/7 ∼ I, 364. IV, 35/6. 43. 196. 213 sq. 534 sq. 320/1; 133 ∼ 327 sq.; 139 sq. ∼ 265. 276. 345. 356. 440. 657/8. VI, 460/1; 141 ∼ V, 17 sq.; 143 sqq. ∼ 311 sq. 340—346. III, 500; 147 sq. ∼ III, 496. (!) V, 629. VI, 61; 149 ∼ 104. 112. I, 571 sq.; 150 ∼ I, 363; 151 ∼ 106 + I, 68; 153 ∼ 234. 354;

attendemus animum ad rationem modo qua omnino conceperit conscripseritque Naso, modo qua imitator et rhetoricus et elegiacus epici auctoris res personas elocutionem sententias in suum usum [1]) converterit, ut tali modo uno tempore firmius fundamentum substruamus cum aliis fontium disquisitionibus Ovidianis, tum vel maxime quaestioni ad incertarum epistularum auctoritatem pertinenti. [2])

Ut autem ascendamus a singulis: ipse Ovidius prima in fronte carminis confessus est sibi admodum aliter agendum esse quod attinet ad genus rationemque dicendi atque Vergilio frustraque nos exspectaturos esse epici exemplaris maiestatem vim gradationem. [3])

Nam cum herois Ovidiana incipit: „More cycni morituri haec verba edo" discimus Didonis res mutari non iam posse [4]) atque

---

161/2 ∼ 351 sq. 427/8; 163 ∼ 318; 165 ∼ 425. I, 284 sq. cf. III, 602; 167 ∼ 323/4; 169 sq. ∼ 429 sqq.; 174 ∼ 380; 177—180 ∼ 316 sq. 431—434 + (!) 171/2; 184 (+ 187) ∼ 495. 507. 646; 186 ∼ 664; 187 ∼ 647; 191 ∼ 54 sq. 549; 195/6 ∼ VI, 458. — Quibus in necessitudinibus (etsi haec illa tralaticia esse lubenter concedo) saepenumero id quoque observari potest quomodo etiam aliena verba, attamen apud Vergilium vicina ab imitatore novum in usum vocata sint pro egregia eius memoria.

[1]) Talem quaestionem desiderat etiam F. Leo: Gött. Gel. Anz. 1901, p. 323, quem tamen nimium tribuisse formae heroidum epistolari demonstrabimus.

[2]) Quam rem etsi minime ignoro saepissime inde ab Antonio Volsco (in ed. Veneta 1484 cf. Sedlmayer, Zeitschr. f. österr. Gymnas., 1879, p. 816 sq., de Antonii argumentorum auctoritate Dilthey de Callimachi Cydippa p. 58 sq.) tractatam esse, nondum tamen hucusque certis argumentis vere diiudicarunt viri docti. Haec autem dubitatio etiamnunc potissimum movetur de Sapphus epistulae origine, quamquam patroni huic ipsi exstiterunt praeclarissimi Baehrens, Comparetti, de Vries, Barbu, alii. Sed ne hic quidem omnino e. g. cum Knaackio, Deutsche Lit.-Ztg. 1889, p. 307, desperandum est, dummodo longo itinere proficisci nos ne pigeat.

[3]) Quae magna ex parte etiam propterea ab arte elegiaca distant, quod simul artis paene scaenicae sunt. Hac autem in ipso quarto libro Vergilium excellentem fuisse nemo nescit. Cf. Ric. Heinze: „Vergils epische Technik" 1903, p. 116 sq.; N. W. de Witt, Classical Journal 1907 (II.), p. 283—299.

[4]) Hoc praeteriit Carol. Lehrs praef. Horat., p. CCXXV et CCXLII sqq.

elegiam nos lecturos esse ultimis querelis morientis desperataeque mulieris confertam. Ac profecto tales vices carmini Nasonem tribuisse indicis quoque testimonium docet am. II, 18. 25/6:

„Scribimus

Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem

Dicat“

quod tamen viri docti sive neglegunt sive cum ipsius epistulae suasoria discrepare volunt. Atqui nihil usquam dicitur de epistula heroidos, nihil de suasoria, immo idem utroque loco comperimus de Didone iam nullam spem fovente Aenean etiamnunc suasoriae precumque causis commoveri posse.[1]) Porro quod ait Ovidius: „Quod dicat Dido“ — mirum est, quod nemo hucusque suspicatus est ita poetam consulto locutum esse, ut Didonis carmen solam dictionem[2]) esse neque eius aut

[1]) Accedit, ut alia interim omittam, desperatum moriendi consilium 181—186 + 187—196.

[2]) Fusius alibi disserendum erit de Amorum carmine conclamatissimo II, 18. Hoc unum iam nunc monere tempus est Ovidium illic, certe haud fortuito, epistulae vocabulum notionemve non adhibuisse, contra quantum potuit dubie locutum esse. Eo enim spectant revera haec carmina, ut pleraeque heroinae minime epistulas scribentes fingantur, sed dictiones, amati autem minime inducantur ut epistulas accipientes, sed declamationes sive audientes sive legentes. Nihil aliud igitur fingit Ovidius nisi heroides ipsas pro poeta loqui, i. e. pro poeta carmina conscribere. Hoc tamen fundamentum huius libri fuit atque primordium. Postea enim forma epistolaris aptioribus his illis carminibus (v. i.) subvenit atque hinc deinde et aliis declamationibus, incerta tamen elocutione, praefixa est ab Ovidio, non tamen omnibus — quod ubi incommode invenitur interpolatoribus sciolis tribuendum erit.

De integro igitur renovanda est etiam Vahleni etsi praeclara disquisitio: „Ueber die Anfänge d. Heroiden d. Ovid“ Berol. 1881. — De altero autem testimonio, a. a. III, 345/6, quid iudicandum sit demonstrabimus in cap. II. Nunc melius respicienda sunt Amorum cautiora dicta II, 18. 21 sqq.:

Quod Penelopes verbis reddatur Ulixi
Scribimus et lacrimas, Phylli relicta, tuas
Quod Paris et Macareus et quod male gratus Iason
Hippolytique parens Hippolytusque legant
Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
Dicat et Aoniae Lesbis amata lyrae.

De carminum initiis v. infra.

preces aut argumenta ullam vim habere nisi rhetoricae ostentationis unum quemque certiorem faceret, contra modo initium epistolare carmini desiderant viri docti, modo — vehementer invehuntur in eandem ineptissimam rationem ut serae suasoriae ita epistulae.

Sed accuratius diiudicemus postules quaestionem criticam quae sit in carminis initio. De quo post Vahleni disputationem (cf. p. 135 ann. 1, p. 4 sq.) plerisque videtur exploratum esse distichon aliquod male hic interiisse. Depromit autem ratiocinationem inde praetor interpretum, quod non modo insolita et abrupta, sed etiam imperfecta vitiosaque [1]) ratione Ovidius collationem suam de canente cycno introduxerit. Deinde hoc continuo (p. 6) contenditur denuo desperemus necesse esse, quoniam verbis quae sequuntur: „Nec quia te nostra sperem prece posse moveri adloquor“ e. q. s. similitudo illa minime continuetur neque quicquam praebeatur, ad quod referre possimus hosce versus, cum particula „Nec“ [sicut modo: „Sic“] sine ulla relatione posita nunc legatur.

Qua de re aliter tamen debes iudicare, dummodo sine ulla praeiudicata opinione quod attinet ad formam epistolarem accedas ad heroides (v. infra). Primum enim versibus, qui excipiunt distichon quod nunc habemus iniens, similitudinis alteram partem sic contineri puto:

„Sic ubi fata vocant udis abiectus in herbis
   Ad vada Maeandri concinit albus olor:
Nec quia te nostra sperem prece posse moveri
   Adloquor — adverso movimus [2]) ista deo —

Sin autem obicis Ovidium non modo veras vicissim datas epistulas scripsisse (XVI—XXI), sed etiam Amorum loco loqui de Sabini epistulis responsoriis, moneo de illarum auctoritate valde dubitari, de Sabino autem velim sentiatis magnam ironiam inesse imprimis disticho 27/8: „Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus Scriptaque diversis rettulit ille locis“ e. q. s. cf. „si modo vivit“, idemque cadere in censuram illam amici ex Ponto IV, 16. 13/4: „Et qui Penelopae rescribere iussit Ulixen! Errantem saevo per duo lustra mari.“ v. i.

[1]) Obiter defendit parum usitatam illam ellipsin praecisionemque, praeter Micyllum Loersiumque editores, recentiore tempore Washietl, Diss. Vindob. 1883 de similitudinibus imaginibusque Ovidianis p. 57, ad affectus excusationem refugiens. De poetae Ovidiani (Anth. Lat. Riese I, 83) ratione v. infra.

[2]) Frustra hic haeserunt interpretes, velut Palmerus (ed.) Damsteius-

Sed meriti [1]) famam corpusque animumque pudicum
Cum male perdiderim, perdere verba leve est."

„Nec" enim intellegendum est „neque enim": Sic concinit olor moriens, nam (ut!) omni spe dimissa, cum omnia male perdiderim, ego quoque ut moritura verba facio. — Qua in sententia Ovidius multum gratiae quam nunc effecit — cum aliquantum etsi reticuit, satis tamen aperte indicavit —, male delevisset, si aliter locutus esset, e. g. si prius quoddam distichon conscripsisset.

At graviores obstant difficultates. Videtur enim versibus 5/6 agi non tam de moritura Didone, quam de Didone nunc verba quoque lubenter perdente: sane nova res addita est atque inserta. At etiam nunc licet observari, quomodo rhetoricus poeta medio in conscribendo a sententia sua primaria aberraverit, ut erat „nescius quod bene cessit relinquere" (Seneca controv. IX, 5. 17). Initio enim ita locuturus erat Ovidius, ut libero sermone utar: „Sic concinit olor moriens [eleganter [2]) omittitur: sicut ego in

que (Mnemosyne 1905, p. 23/4). Spectat enim Ovidius ad priores Vergilianos amatum retinendi conatus omnes nimirum perditos utpote deo adverso — quo clarius doceat nunc semet ipsum aliter ficturum esse Didonem iam morituram ultimis verbis complorantem.

[1]) Sic scribo cum codicibus P (m 2) GEω (An mavis „sed meriti famae?" cf. merite (vel-ue) m 1 P). Editores acceperunt Heinsii correctionem: „merita et famam." At talem repetitionem: „famam + corpusque animumque pudicum perdidi" nequeo Nasoni tribuere. Praeterea fac consideres in heroidum genere magnas easque topicas partes obtinere meritorum recordationem atque valde heroinas poenitere quod meritorum fama propter concubitum male abierit in culpae crimen, cf. e. g. vs 91/2 et ep. II, 28—30. 56 sq.! — Similiter ait Dracontius, Ovidi sectator, PLM V, p. 183 in deliberativa Achillis an corpus Hectoris vendat: „Si meritum post fama manet." — Quae cum ita sint Damstei (l. l.) dubitantis de correctione Heinsiana haud vana alucinatio fuit, nisi quod miram desideravit ille emendationem: rectum enim exstat — ut solet — in codicibus! — Unde tamen Burmannus Ehwaldiusque non refutantur qui collato loco ambiguo mett. X, 240 coniecerunt: „corpora cum fama" (pro „forma").

[2]) Aliter Vahlen, p. 6, sed v. s. — Dicat quispiam melius Ovidium tum dicturum fuisse, ne lacunam sui sermonis, utpote quam voluerit, dissimularet: „Non quia". Ac profecto posteriores, haud raro tamen fideliores, codices praebent: „Non". — At maluit poeta lectori succurrere.

hac tota dictione[1])] — nam quae verba ego tibi faciam, ipsa moritura faciam (non te motura!). Sed postquam Dido dixit omnia ut decet morientem sese iam perdidisse, facillume praebita est addenda docili Arelli discipulo vera moriendi sententia nondum ipsa exposita haec altera lepidae cuiusdam oppositionis causa: perdere[2]) verba leve est.“ Qua prior certe cogitatio haud paulum obscuratur similitudinisque tenor non destruitur, tamen haud ita apte turbatur.[3])

Hinc vero perspicua opera parat sibi viam Ovidius ad declamationem ipsam disticho vv 7/8 plane rhetorice ornato:

„Certus es ire tamen miseramque relinquere Didon
Atque idem venti vela fidemque ferent?“ [4])

Ubi particula „tamen“ transitus efficitur ad dictionem denuo quasi excusandam: „nihilominus nondum possum mihi persuadere te revera abiturum esse“. Quo simul ultimam illius sententiae

---

[1]) Cf. Guil. Peters: „Observationes ad Ovidi heroidum epistulas“ Diss. Gott. 1882, p. 50.

[2]) De eiusdem vocabuli peioribus argutiis cf. M. Piéri, Quaestiones ad O. N. epistulas heroidum et praecipue horum carminum artem pertinentes Diss. Paris. 1895, p. 48.

[3]) Fortasse hoc tibi maiorem veri speciem habet: singulorum obtinebant initiorum vicem illae sententiae: prior: cycni morituri more ultima canentis heroidos, altera: omnibus rebus perditis facile nunc verba quoque perdentis. Quarum alterutra primo suffecerit poetae ad praeloquendum, utra potissimum non discernas. Utramque autem auctori contaminanti ex prima illa adumbratione nata est obliqua cogitandi continuatio, quam statuimus. Huc quoque referri possit illud „Nec“.

[4]) Audaces translationes diversis rebus adhibitas notat Piéri p. 47, cf. etiam R. Pichon: De sermone amatorio apud Lat. elegiarum scriptores Diss. Paris. 1902, p. 46. Deinde ventorum verba iuraque iuranda irrita ferentium multa exempla congesserunt Zingerle l. l. I, 40/1. Mallet, Quaestiones Propertianae, Diss. Gott. 1883, p. 19—22. Lueneburg, De Ovidio sui imitatore Diss. Regiom. 1888, p. 22—25. De Vries, Sapphus epist. ed. Lugd. Batav. 1885, p. 112 (ad vs 209). Washietl p. 162. Aug. Otto: Sprichwörter d. Römer 1890, p. 364/5. Quorum cohortem propterea attuli, quod omnino hunc usum tritissimum esse neglexit Knaackius: Analecta Alexandrino-Romana Diss. Gryph. 1880, p. 35, ubi ex Phyllidos verbis 25/6 (ep. II). Callimachei deperditi poematos sententiam enucleat — quam nimiam fontium indagationem infra accuratius refellemus.

partem tamquam corrigit Ovidius, quam postea ingenio eius in conscribendo accessisse voluimus: „perdere verba leve est".

Deinceps si legeris vv 9/10:

Certus es, Aenea, cum foedere solvere naves
Quaeque ubi sint nescis[1]) Itala regna sequi

qua inquies ratione interpungenda[2]) sunt huius regionis enuntiata? Versibus 1—6, si quidem primam adumbrationem respicis, sapienter extemplo — omisso igitur disticho 7/8 — additos esse arbitror vv 9/10 eosque huius causae munere: „nam tu ut es certus nunc abire auctor meae mortis es" [cf. v 195].[3]) Huc autem accedebant vv 11—14, quibus eodem tempore per eandem scilicet affirmationem totius carminis propositionem accipimus accuratiorem eamque aptissimo loco. Attamen quid accidit? Reminiscitur repente poeta, quoniam affectatione quadam sententiam de Didone ipsa moritura turbavit, ludi rhetorici alumno non elegiam, sed dictionem conscribendam esse eamque ut suasoriam etsi inutilem. Quo factum est, ut Ovidius adiunxerit verbis illis paene sua sponte conceptis „perdere verba leve est" interrogationem quam attulimus vs 7 sq.: Certus es ire tamen?[4]) Qua inserta nimirum etiam vs 9 sqq. initio alium in usum, affirmationis, vocati in interrogationis formam redigendi erant.[5])

[1]) Notum est Vergilium in Aeneidos processu dubitasse de ea quidem re, utrum Aeneas terrae promissae nomen situmque sciret an non. Qua in re Ovidius sine ulla dubitatione, vv 10 et 145, fingere maluit Aenean etsi nomen Italiae, tamen non situm cognovisse. Cf. etiam Ric. Heinze: Verg. ep. Techn., p. 86, ann. 1. At Ovidio tali opinione opus fuit vel pro suasoriae argumentis. Quam supponere dictioni certe non dubitasset Vergilio etiam dissentiente.

[2]) Interrogandi signa (vv 7—12) debentur Bentleio.

[3]) Iterum igitur apparet Ovidio in animo fuisse sententiam exponere de moriente Didone.

[4]) Prioris status ab interrogando alieni vestigia extant in vv 13/4: „facta fugis, facienda petis; quaerenda per orbem altera, quaesita est altera terra tibi." An mavis vv 13/4 conceptos esse postquam disticho 7/8 interrogationis munere inserto etiam vv 9—12 in interrogandi formam redigendi fuerunt, ut mutationem aliquam hic factam esse ipse indicaret poeta? — Utique id considerandum callide Nasonem ipsi propositioni argumentorum vim intulisse!

[5]) Fieri quidem potest, ut sex priores versus postea conscripti

Misere igitur in Nasonis pectore inter se pugnabant duo animi: elegiacus atque rhetoricus. Ac nihil refert ad considerationem quam habuimus, utrum poeta imaginis sententiam [ipsa enim moritura sum haec verba dicens] non modo non ad finem perduxerit, sed etiam turbaverit eo consilio, ut rhetorica inserta oppositione (perdiderim — perdere verba leve est) transiret ad suasoriae propositum contra nunc pronuntiandum (Certus es ire tamen?) an ut hisce ipsis verbis rhetoricus elegiacusque animus ingeniose unus ab altero irrideretur.[1])

Id autem, ut ad propositum revertar, utique tenendum est Ovidium nullo modo consilium epistulae conficiendae indicasse vel indicare debuisse, immo optime carminis initium ex poetae animo accipi et posse et velle nullo disticho amisso.

Accedit hoc: duabus illis imaginibus, primum cycni morituri canentis, deinde miserae heroidos hora mortis facile verba quoque perdentis, summopere id studebat Naso, ut declamationi suae revera inutili paeneque absurdae sensum daret atque excusationem. Sequitur, ut non modo verae suasoriae, sed etiam formae epistolaris ineptiorem speciem vitaverit — quam tamen viri docti nondum hucusque nescio quo iure desinunt modo attribuere, modo opprobrio vertere (!) poetae innocenti.

Deinde dicunt postulari in heroidibus, ut personae nominentur in fronte carminum, hoc autem factum esse putant in ipso

---

sint a poeta pro prooemiis. Quod inde fortasse comprobatur, quod magnae obsistebant difficultates Ovidio, cum coniunxit illos cum sequentibus — ita ut ad eandem sententiam iterandam in transitu refugeret. (7/8 ∼ 9/10.)

[1]) De ironia Ovidianae artis poetica ratione instituenda erit propria disputatio: ita enim Ovidius, praecipue in Arte Transformationibusque, intellegendus est, ita deinde Romae cum vera poesis, tum elegia misere interiit —, non modo propter artem rhetoricam, quam accusat Leo, De Stati silvis 1892/3, p. 4, vel propter „didacticam philosophicamque" indolem — quod sibi persuasit Ric. Buerger, De Ovidi carminum amatoriorum inventione et arte, Guelf. 1901, p. 130. — Alio autem spectat quod voluit Merc. Sappa (Riv. di Filol. XI. 1883. 347—372: „Ovidio umorista", de quo iure meritoque iam Ehwald, Burs. annal. XLIII (1887), p. 149 sq. festivitatem ab Ovidio abiudicavit propter omnem sinceritatis inopiam.

disticho postea deperdito.[1]) At ut omittam tale postulatum tantummodo cadere in epistulas: in versibus 7 et 9 dictionis personae nominatim non apparuissent, si, epistularum more, perpaulo ante iam nominatae essent. Nudam mehercle declamationem conscripturus est Ovidius — neutiquam aliter atque aliquanto post Ennodius episcopus (dict. XXVIII, ed. Hartel) Didonem finxit verba facientem „cum abeuntem videret Aenean [„Verba Didonis!"], [2]) iisdem fere complorandi accusandique sententiis usurpatis — praeterquam quod poeta quantum fieri potuit tam inutili declamationi causam ut diximus praescripsit et defensionem. [3])

Postremo novum contra Vahlenum praesto est argumentum ac non levissimum. Exstat enim in antiquioris temporis codice Salmasiano poetae Ovidiani carmen (PLM Baehr. IV, 271. AL Riese I, 83), quo item proficiscente Aenea, vel profecto, Dido declamans fingitur. Quod nobis interim propterea maioris momenti

---

[1]) Memorabile est viros doctos alios alias causas affere, cur tandem perierint epistularum initia: Vahlen e. g. (l. l. p. 35) hoc propterea accidisse putat, quod exordiendi formulae pulchrioribus litterarum coloribus aliisque ductibus postea exarandae visae sint librario. Idem sentit Ehwald Burs. ann. 1901, p. 175. Alio refugit H. Peter: „Der Brief in d. röm. Litteratur" 1901, p. 191: initia illa in codicibus hic illic ut minoris momenti intercidisse. Cf. etiam Guil. Peters Diss. l. 1882, p. 48.

[2]) Eiusdem generis hae sunt Ennodianae dictiones (XXV—XXVII, ed. H.): Verba Thetidis cum Achillem videret extinctum, Verba Menelai cum Troiam videret exustam, Verba Junonis cum Antaeum videret parem viribus exstitisse Herculis. Id quoque aliquatenus huc pertinet Ennodium optime novisse Nasonis carmina (cf. ind. Hart.) Deinde nota sunt Graecorum quoque (de Latinis v. i.) *ῥήσεις* vel *προσωποποιίαι* (*τίνας ἂν εἴποι λόγους κ. τ. λ.*), quarum in dies plures innotescunt, cf. Crusius Philologus 1905, p. 144 sqq.

[3]) Non ignorabat Naso Vergilium ultimum irritumque Didonis hospitem retinendi conatum excusandum esse censuisse: vv 411 sqq. „Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis! Ire iterum in lacrimas, iterum temptare precando cogitur et supplex animos submittere amori, Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat" — nisi quod imitator elegiacus desperationis statum clariorem reddere debuit. Quod autem epici auctoris heroina minime ipsa ad preces illas humillimas coram amato iterum descendit, sed soror Anna fletus ad Aenean rettulit, ut satis consentaneum est cum epicae personae moribus (similiter de-

est, quod versificator ille, postquam ad quemlibet lectorem carmini suo praefatus est (vv 1—5), carmen ipsum peculiari praelocutione instruxit hac (v. 6 sq.):

> Debuit ingrato nullam dictare salutem
> Laesus amor: sed nulla iuvant convitia flentem
> Si modo flere vacet, nam me magis improba mortis
> Fata vocant e. q. s.

De qua id primum manifestum est ut in sententiis ita in elocutione respici Ovidiani carminis initium. Deinde verbis „Debuit ingrato nullam dictare salutem Laesus amor" mihi quidem procul dubio indicatur initium epistolare apud Ovidium quoque tum defuisse.[1]) Eius autem qui ita testatur codex multo antiquioris temporis est quam omnes qui ad nos pervenerunt Ovidiani libri: saec. VII aut VIII; testis autem ipse gratissimus multo ante, fortasse iam saec. IV, vitam degit.[2])

Hoc tamen testimonium, quod paene archetypi auctoritate est, quod minime discrepare videtur cum Etonensis codicis disticho

---

fendit Maronem Ric. Heinze l. l. 131 ann. 2), ita insuper nimia quadam diligentia excusavit poeta, cum in Aeneae familiaritate semper versatam finxit Annam. Hoc autem ita esse cum nusquam adhuc appareret, factum est, ut viri docti, velut Sabbadini, hinc quoque praepropere conscribendi varios status variaque consilia cogerent auctori fuisse. Quod eo minus pertinet ad Vergilium, quo magis debuit novam invenire communicationem, ne fatigaret lectorum animos; deinde magnas in angustias sese incursurum fuisse haud nesciit Maro in ea re, qualem grandissimo affectu iam consumpto Didonem heroinam sese gerentem fingere posset in iterato amatum adeundi conatu.

[1]) Inde quod idem auctor eius modi initium Ovidiani carminis desideravit, cum propriam huius omissionis causam attulit, vides errorem de vera heroidum indole perantiquum esse, natum scil. ex obiter intellectis testimoniis amor. II, 18 a. a. 345/6 (v. i.) hisque illis heroidum initiis. accesserunt Sabinianae aliorumque imitatorum epistulae vicissim datae, eidem errori (ni forte ironiae cuidam) debitae. Salmasianae autem declamationi epistolarem inscriptionem demum editores addiderunt. — Totam hanc quaestionem praeteriit Ziehen Philologus N. F. XVII, 373/4.

[2]) Cf. editores Baehrens praef. p. 4, Riese praef. p. X, nuperrime Anthol. de poètes Latins dite de Saumaise reproduction réduite Paris, praef. p. 4, Purser in Palmeriana her. edit. praef. XX, ann. 1.

„Accipe, Dardanide, moriturae carmen Elissae
Quae legis, a nobis ultima verba legis"

quippe quo tantummodo de ultimo Didonis carmine ab Aenea legendo, non de vera epistula (cf. p. 135 ann. 2) dicatur — quid dicis? Maiorem [1]) auctoritatem post Winterfeldium [2]) tribuunt [3]) codici huic Langobardico.[4]) At probari licet (v.i.) plerasque proprias huius libri lectiones deberi non solum correctori vel interpolatori, sed ingenio doctrinaeve ipsius primi librarii. Ac sicut scriptura eius saepissime mala est levitate malisque scatet erroribus, ita ne coniecturae quidem eiusdem diligentiae sagacitatisve, nedum fidei, sunt. Distichon autem ambiguum, quod ne Vahlenus quidem utique Ovidio adscribere ausus est, non modo ieiuniorem interpretationem sapit, sed etiam, cur poeta bis idem elocutus sit atque elegantissime dictum „Sic — olor" (v. s.) languide anticipaverit, non video.[5])

Deinde nempe facilius fieri potuit, ut distichon illud propter novam raramque sententiae rationem (Sic —) ab interpolatore additum sit, quam ut vulgaris similitudinis compositio interierit, quamquam hoc argumento quod iam Loersius protulerat propterea nimis niti non debemus, quod viri docti ad initiorum omissiones aliis coloribus postea exarandas refugerunt (cf. p. 141 ann. 1). —

Dictionis condicione quae sit satis exposita (vv 1—9—14) coepit Ovidius rhetorice argumentari (vv 15—22), cum difficultate novae alienaeque terrae occupandae commemorata iterum per interrogationes alterum amorem, alteram Carthaginis instar urbem, alteram Didonem(!) Aenean inventurum esse negat.

Quorum argumentorum concinna gradatio cognosci vult: facit

---

[1]) Quam concesserunt Sedlmayer prolegg. crit. p. 87—91, alii; dubitavit Dilthey, observationes in Ov. heroid. ep. I, Gott. 1884, p. 14/5.

[2]) Gött. Gel. Anz. 1899, p. 897/8.

[3]) Velut Ehwald, Burs. annal. 1901, p. 209.

[4]) De eius tempore fluctuant hucusque sententiae: auctor Electorum Etonensium statuerat saec. IX, maluerunt cum alii tum Sedlmayer (prolegg. crit. p. 5) saec. XI, idem iudicavit Winterfeld l. l. Quibus nuperrime repugnavit, causis tamen omissis, E. K. Rand, Berl. philol. Wochenschr. 1908, p. 255 (saec. X).

[5]) Nihilominus qua una ratione — ab hoc loco aliena — etiam hoc distichon defendi possit infra demonstrabimus, cf. cap. II.

interim Ovidius Italiam inveniri ab Aenea (I): ut terram invenias — quod igitur altera ex parte callide hic in dubio relinquitur solumque putatur a poeta ut praemissum argumentis quae sequuntur: a) quis ignotis terram tradet? b) [An] alter amor tibi restat? [habenda est altera Dido?][1]) c + d) quando condes [non modo urbem, sed] Carthaginis instar urbem? e) (concl.) omnia ut[2]) eveniant: ubi gentium invenietur tibi coniunx quae te sic amet? [non modo b!]. Deinceps ilico necessarioque subsequitur digressio elegiaca de huius amoris vi (v. 23 sqq.). Hac autem in parte quod viris doctis magnae movebantur dubitationes aliis de auctoritate, aliis de collocatione quorundam versuum,[3]) melius nunc apparebit non modo quid voluerit Ovidius, sed etiam quomodo conscribendi propositum abundantia quadam non coacta ipse velaverit.

Subfuit enim poetae in disticho 15/6 sive qua pergeret sive quam reticeret haec sententia: solum amorem talis liberalitatis auctorem [ut fuisse, ita futurum] esse — ita ut cogitationum nexum ascensumque sic constituturus fuerit Ovidius: nemo ignotis arva sua colenda dabit — nisi forte alter amor tibi restabit — quod fieri posse statim herois, per interrogationem, negatura est.[4]) Hinc autem nequiit poeta non procedere ad ipsam Didonem iam hic nominandam, utpote quae Carthaginem caeco amore hospiti tradiderit — quamquam initio ei placuisse videtur argu-

---

[1]) Ingeniosa correctio Birtii; postea parum recte proposuit Kraffert (Beiträge z. Krit. u. Erklrg. lat. Aut., progr. Auric. 1883) „restat avendus“. — Ceterum in dubium vocat Ovidius Vergilianum illud IV, 347: hic amor, haec patria est!

[2]) Sic cum certa Etonensis auctoris coniectura. Maluit Magnus Berl. phil. Wochenschr. 1886, p. 272 „fiant“ coll. her XV (!) 133; met. XV, 244; trist. I, 8. 7.

[3]) Abesse versus 17/18 maluit Palmer, transposuit Birt (Gött. Gel. Anz. 1882, p. 860/1) versus ita: 14. 19. 20. Damsté (Mnemosyne 1905, p. 24/5) hanc seriem constituit: 22. 17. 18; versus 23—36 omnino Ovidio indignos esse censuit Lehrs l. l. p. CCXLIV.

[4]) Quod non perspexit Sedlmayer, cum omisit notulas interrogationis. Neque aliter peccaverat Luc. Mueller, mus. Rhen. XVII, 191 („captandus“): „Wie kann Dido, um Aeneas von der Untreue abzubringen, sagen, es stünde ihm ein anderes Liebesabenteuer und eine andere Dido bevor? Entweder bezeichnet sie so es dem Ae. als Gefahr oder als Unannehmlichkeit wieder ein ihr ähnliches Wesen liebzugewinnen.

menta tali amplificandi ordine proponere: num tibi praebebitur 1a nova terra 1b novus amor 2a nova Carthago 2b nova Dido? (cf. „sic"!!).

At minime hic acquievit auctor. Tantum enim abest, ut hanc sententiam de Didone regnum offerente aperte exposuerit, ut statim inseruerit plane novam miseramque rem de Aenea etiam alterum amorem si qui erit decepturo — qua indulgentia priorem quam habuit argumentandi rationem ipse nimirum obscuravit.

Quae cum ita sint versus 17/18, etsi sensum haud ita apte obiter intuenti et interrumpere videntur et frustra anticipare, suum tamen locum obtinent et utique conservandi sunt. Praeterea contra Damsteium (22. 17. 18) id quoque afferendum est orationem optime necessarioque fluere continuo a v. 22: „Unde tibi quae te sic amet uxor erit?" — nulla sententia interposita ad vs 23: „Uror, ut inducto ceratae sulpure taedae", contra Birtium (14. 19. 20)[1] eleganter Ovidium nec non impensa opera a vs 15 sq. ascendere ad unius distichi 19/20 duplex argumentum (quando, Carthagini parem urbem) atque similem ascendendi viam haud forte postea inire, vs 146 sq.: nempe ut pervenias — hospes eris 148: vix tibi continget terra petita seni (cf. etiam vs 20 et 149 populos tuos) v. i.

His autem prolatis elegiace digreditur poeta, ut amoris vim qualis quantaque in Didone sit accuratius[2]) nobis depingat, post-

---

Ein solches Motiv wäre aber zweckwidrig und lächerlich. Oder wenn sie auch in diesen Worten das Bewufstsein ihres Wertes festhält, so ist es doch wahrlich kein Grund für Ae. zu besonderer Anhänglichkeit gegen jene, wenn sie ihm sagt, er würde in Italien eine der in Carthago verlassenen völlig entsprechende Gattin finden." (!!) — Parum caute etiam Tolkiehn (in Diss. Regiom. 1888, Quaest. ad Ov. her. capp. VII, p. 42). Ceterum „habenda" vocem recte iam Ehwald tutatus est coll. v 15: quis eam tibi tradet habendam? (Burs. annal. XXXI, 181.) Accedit praeter distichon 13/14 vs 163 aperta imitatione graviter huc pertinens (parce, precor, domui, quae se tibi tradit habendam).

[1]) Praeterea arcto vinculo cohaerent — cf. Ehwald. l. l. — enuntiata: quando e. q. s. 19/20 et „nec te tua fata morentur" 21/2.

[2]) vv 24/5 (Ut pia — inhaeret) etsi nonnumquam defendebantur — post N. Heinsium Heusingerumque e. g. ab Housmano Class. review

quam huius ipsius rei argumentum sane gravissimum modo in disticho 21/22 ita proposuit, ut diligentior quaedam enarratio eodem tempore paene iam postularetur. Qua in digressione id quoque consentaneum est Didonem non iam Aenean alloqui: loquitur nunc herois elegiace tantummodo secum ipsa nec iam facit dictionem ab amato sive audiri sive legi („ille"!). Unde nemo tamen praeter Lehrsium, vel propter digrediendi statum, animum inducet hos omnes versus abiudicandos esse ab Ovidio — praeterquam quod, quae vera natura absque epistula communicationeque aliena totius carminis sit, ipse poeta propria praefatione docet (v. s.).

Sed quod maioris est momenti: utitur hac ipsa digressione Ovidius, ut palam proposito titulo, ad pronuntiandum, quomodo Didonem contra Vergilium auctorem amantem fingere ipse maluerit vel debuerit[1]): 27/30: „Ille quidem male gratus" e. q. s. — „Non tamen Aenean quamvis male cogitat odi — Sed queror infidum questaque peius amo" — Ubi quod data opera sententias Maroni opposuit (e. g. 593 sqq.), nonne gloriatur tamquam elegiacus poeta sibi se adhuc quidem constitisse? Nonne operam dat id quoque, ut nos admoneat declamationum, quibus omnibus nonnisi talium querelarum humile fundamentum subesse haud fortuito primis in initiis praedicaverat? [2])

1897 — a plerisque tamen interpretibus recte reiciuntur. — Recentiorum affero, praeter Sedlmayerum, proll. crit. p. 69, Washietl l. l. p. 107.

[1]) Quam tamen novam rationem nequiit Ov. ubique obtinere prae nimia exemplaris epici auctoritate.

[2]) Cf. „ep." II, 1/2: „Hospita Demophoon tua te Rhodopeia Phyllis Ultra promissum tempus abesse queror," ep. III, 5/6: „Si mihi pauca queri de te dominoque viroque Fas est de domino pauca viroque querar" [vv 1—4 postea puto adiectos esse ab Ovidio Propertio (Arethusa, = V, 3) praegresso (accedit Phaedrae epistulae init. v. i.) ac Properti imitatio quidem aperta est in disticho 3/4 cf. A. Zingerle I, 120; Lueneburg l. l., p. 27; Jurenca, Beiträge z. Krit. d. ovid. Her. Vindob. 1881, p. 14; Peter l. l., p. 189. Quorum nemo tamen suspicionem aliquam movit de separando priore illo initio a carmine ipso quod attinet ad tempus quo conscriptum sit. Quod autem Ric. Buerger l. l. p. 38 propter vocem sarcinae eodem pentametri loco (v 68) usurpatam totum Nasonis carmen Propertiano posterius esse contendit hariolatio est (cf. etiam B. a. 1901, 180). Deinde quamquam memorabile est Briseidos carmen in Am. II, 18 non afferri, nihil tamen hinc concludere fas est,

Id vero poetae certe non opprobrio vertendum est, quod herois hac desperandi sententia vix enuntiata denuo spem in precibus reponit (31/2). Nam cum eadem altera ex parte ait: „questaque peius amo“ atque precibus illis minorem spem inesse extemplo addidit: „aut fallor“ e. q. s., „Te lapis“ e. q. s. docet nos Ovidius minime verbotenus sese intellegendum esse atque magnas sibi obstare difficultates cum epici auctoris res in usum elegiacum convertenti, tum vel maxime contaminanti varios amoris status qui fuerunt in libro epico.[1])

cum nequaquam Amorum elegia veri plenique catalogi vicem obtineat (cf. etiam F. Jacoby, mus. Rhen. 1905 (LX) p. 71); quod idem Buerger (p. 44) parum recte sibi persuaserat] ep. V, 3/4 (initio = 1/2): „Pegasis Oenone Phrygiis celeberrima silvis Laesa queror de te, si sinis ipse (Sic! sed cf. Vahlen l. l. p. 40), meo.“ [Dist. 1/2 secundum quarti tertiique carminum initia quartique ultro exitum ab Ovidio additum est. Deinde interpolator (E) insuper praefixit languidam interpretationem „Nympha — iugis“. Aliter Vahlen p. 26/7. — Hanc autem retractationis rationem revera poetae institutam (cf. cap. II) praeterierunt etiam Jacoby (l. l.). Damsteiusque, quorum hic (Mnem. 1905, p. 17) Dist. 1/2 omnino circumscripsit]. Ep. IX. 1/2 Gratulor Oechaliam titulis accedere nostris Victorem victae succubuisse queror (cf. etiam VI, 17).

His auditis quid dicis de suasoriis? quarum argumenta nempe in alia re ponuntur atque in querendo! Quid de epistulis? — Historia huius heroidum libri observanda est atque initiorum potissimum posteriores curae num dignosci possint quaerendum; de Canaces autem initio infra, de Medeae fronte alibi tractabimus, de Penelope cf. cap. III. Unam iam nunc Ariadnen affero, quippe in qua initium item novatum esse eo confidentius mihi persuasi, quod hinc tandem tolluntur offensiones omnes, quibus post Micyllum laedebantur viri docti (Vahlen l. l. 25/6; Sedlmayer proll. crit. p. 80; obiter Peters p. 49; Gilbert progr. Misn. 1887, p. 10/11). Initio enim optimo Catullo auctore nudam querendi declamationem conscribentem finxit Ariadnen O. propositione hac praefixa: „Mitius inveni — eram“. Cui necessario abrupte, praesertim in temporis descriptione (v. i.) adiunctum est verum declamandi exordium v. 7: „Tempore quo nobis e. q. s.“ Postea autem (cf. cap. II) conscripti sunt vv 3—6 (Quae — meis), cautissima elocutione quod ad epistulam attinet, cf. Quae; quos vereor ne in margine annotaverit poeta. Quod enim optimi Guelpherbytanus Puteaneusque libri inter se dissentiunt de versuum serie, collocatio fortasse iam in archetypo dubia fuit. — de Persii Ausoniique testimoniis v. i.

[1]) Apud Vergilium qualis fuerit fabulae processus apparet vel ex numeris versuum hic ab Ov. in usum vocatorum: 66—68. 83. 465 (!) [23—26 sq.]. 428. 440 [27 sq.]. 593 sq.

Ac profecto pendet hic poeta Sulmonensis inter varias exemplaris regiones, in quibus variae nimirum fabulae amatoriae condiciones curabantur. Versibus enim 23/6 primo tamquam amoris impetu modo affectam sese gerit Dido, versibus 27/30 repente iam videtur desperavisse de fide amati vel potius Aenean profecturum esse non ignorare, versibus 31/2 nihilominus Venerem adiutricem adit quasi nondum Aeneae constante abeundi consilio, hanc rursus sententiam excipiunt vv 33—40 sq. quibus ad desperationis statum redit oratio, ita videlicet ut vv 31/2 ea ipsa mente insertos esse appareat, ut quam primum notissima Maronis accusatio, e contrario tamquam, usurpetur. Hoc igitur consilium coniungebatur cum contaminandi difficultate ac tota interpositione quamvis nullo ut videtur duce delabente eo spectabat Naso, ut accederet vel viam transitumque muniret ad novum declamationis caput, iterum Maroni debitum, ad sententiam dico de amati perfidi lapidibus bestiis mari parentibus (37/9).[1] Neque fortuito factum est, ut Ennodius episcopus eadem verba Vergiliana declamationi suae Didonianae ut capitalia praelocutus sit atque idem argumentum suppositum sit his illis humiliorum auctorum carminibus, cf. Anthol. Lat. (Riese) I, 244. 255.[2])

Accedit, quod protinus hanc sententiam consecuta de integro inchoat herois argumentationem, — quam nunc iam potius in deterrendo ponit ipsius maris pericula afferens ancoras sublaturo vv 40. 41/2. Postremo autem verum nos vidisse de proprio versuum 37 sq. pondere comprobatur etiam compositionis arte: has enim partes versuum ambitu paene pares[3]) (c. 50), — dummodo

---

[1]) Imitatorem hic languidius locutum esse auctore (366 sq.) recte annotat Piéri p. 52.

[2]) Lubentissime desumpserunt rhetores versificatoresque argumenta ex Vergili sententiis et nota sunt testimonia etiam Servii commentatoris e. g. ad Aen. X, 18, ibid. 532. — Cf. A. L. I, 223 < Aen. III, 315.

[3]) Interiori naturalique symmetriae non operam dedisse, sed sponte indulsisse Ovidium negari nequit, hinc autem poetae more Bellingiano leges et vincula imponere atque delere et transponere si quid numeris non paret nefas est. Cf. etiam Ehwald „Ad historiam carminum Ovid. recensionemque symbolae" II, p. 17 sqq. 21, Gothae 1892. Volkmann: „Anmerkung zur Technik Ovids" progr. Vratisl. 1901 (de Tristium et e. P. elegiis).

prooemia exceperis — statuendas esse puto: 37—86, 87—138, 139—186, quibus assuti sunt, ab ipso tamen Ovidio, vv 187—196. De singulis vero haec digna sunt quae commemorentur: quod iam Servius de notissimo loco Vergiliano (365 sq.) nos revocat ad Homericum illud γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα πέτραι τ' ἠλίβατοι atque ad Maronis ipsius dictum IV, 12: „Credo equidem — nec vana fides — genus esse deorum“ primum id memorabile est apud Vergilium, pro dramatica eius indole, graviorem ironiae vim inesse uni dicto alterum respicienti („nec vana fides!“), deinde neminem potest fugere, praecipue si comparaverit locum simillimum Catullianum LXIV, 154 sqq. (cf. her. X, 131 sq.), Maronem novum acumen veteri sententiae intulisse[1]) adiuncta hac oppositione: diva parens — cautibus horrens Caucasus, tigres — id quod Ovidius fidelissimus imitator neutiquam omisit, immo, ut solet, longius exposuit idque iterum eadem in interpositione, quam delevit Lehrsius 35/6:

„Fallor et ista (!) mihi falso iactatur imago:
  Matris ab ingenio dissidet ille suae.
Te lapis e. q. s.“

Nihilominus et discrimen quoddam constat inter utrumque poetam: Ovidius enim cum etiam mare attulit, propius accessit, sicut Catullus quoque, ad Homerum ipsum huius hyperboles auctorem quam Vergilius vates quamvis ipse epicus. Hoc autem qui accidit? Probabile est Maronem de industria maris notionem neglexisse, quia non modo non ignoraverit ipsam Venerem matrem cum Aeneae tum amorum omnium e mari natam esse, sed etiam pro partibus quas obtinent di in Aeneidos carmine hanc rem pro nihilo putare noluerit. Quod eo securius hic quidem contempsit imitator, quo facilius potuit novas argutias hac ipsa re neglecta efficere, videlicet cum argumentandi causam ipsi imagini adiunxit:

„Aut mare quale vides agitari nunc quoque ventis,
  Quo tamen adversis fluctibus ire paras!
Quo fugis? Obstat hiemps. hiemis mihi gratia prosit!
  Adspice, ut eversas concitet Eurus aquas!“

[1]) Cf. Heinze l. l. p. 131, ann. 1.

Qua nimia elegantia fit, ut altera ex parte versuum 41/2 argumentationem quodammodo frustratus sit poeta — nempe enim decuit maris ferocis filium mari fidem habere. Quod tamen nihil curabat Naso, qui potius valde gaudebat, quod gravior ironia rei praeterea insedit haec: quae quam aptissime convenit sententia ad complorandi accusandive propositum, pessume autem, ut obiurgatio, ad necessarias suadendi blanditias, ita hic in usum vocata est, ut ipsam suasoriae viam muniret.

Totam autem inventionem nullius esse momenti nisi rhetorici inde praecipue apparet, quod iterum atque iterum herois admonet Aenean matrem eius dearum esse [cf. (praeter v. 31 parce, Venus, nurui e. q. s.) v 107 diva parens seniorque pater 157 per matrem fraternaque tela, sagittas (sic!)].

Nihilosecius unum quidem locum plane aliter composuit Ovidius, ita ut affinitatem illam paene consulto ignorasse [1]) videatur novi cuiusdam quem affectabat salis causa, 57—60:

„Nec violasse fidem temptantibus [2]) aequora prodest:
Perfidiae poenas exigit ille locus,
Praecipue cum laesus amor, quia mater amorum
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis."

ubi ludentem conspicis poetam [3]) qui certe nullam id operam dedit, ut orationem suam ubique sibi constantem redderet. Quapropter ego quidem, quod distichon 59/60 Joannes Gilbert [4]) resecuit, eius modi medelam meam facere nequeo, praesertim cum

---

[1]) Quae discrepantia — quippe quod Aeneae matrem oportuit filium servare; an refugis ad supra rhetorice denegatam affinitatem? — ne Andersonium quidem fefellit.

[2]) Obliqua est oratio pro hac sententia: Nihil prodest eis, qui fidem violarunt, aequora temptare.

[3]) Eodem spectant altera a parte, incertorum tamen auctorum, e. g. haec: XVI, 24/5 „Illa (Venus) dedit faciles auras ventosque secundos. In mare nimirum ius habet orta mari" ep. XV, 213/4 „Solve ratem: Venus orta mari mare praestat amanti Aura dabit cursum, tu modo solve ratem" (cf. de Vries ed. p. 113sq.) ep. XVIII, 159/160: Quod timeas non est: auso Venus ipsa favebit Sternet et aequoreas aequore nata vires".

[4]) Ad Ovidi heroides quaestiones criticae et exegeticae, progr. Misn. 1887, p. 7.

quas causas attulit ille nullae sint in Ovidio,[1]) unicam autem graviorem offensionem, quam ipsi concessimus exstare, plane praeterierit arbiter, hanc vero quoque excusandam esse, et quomodo, demonstraverimus.

Sed ut eo revertar, unde digressus sum: Vergiliano opprobrio allato (v 37 sq.) in eo est, ut denuo tamquam applicetur herois ad dissuadendi propositum 41/42.[2])

Ac recta argumentandi via tandem inventa exultat nunc poeta, cum ilico ludi rhetorici artificia in usum vocat: capitulorum dico finalium: „obstat — prosit.“ [3])

At eum valde opinio fefellit, qui abhinc Ovidium constantia usurum esse in scribendo speraverit: ab interiore enim ratiocinandi processu cadit ubique oratio in querelas argutiasque. Sed agedum herois ipsa audiatur: quae postquam suadendi querendi accusandi colores mirifice miscuit in disticho 43/4:

„Quod tibi malueram, sine me debere procellis:
Iustior est animo ventus et unda tuo“

pergit vv 45/6 Aeneae causas manendi afferre et — quod numquam fieri potuit in Vergilio — descendit ad hanc maximam modestiam, qua certius aliis argumentis perditis iniquum[4]) hospitem retineret, superbum eius animum appellans:

---

[1]) Frustra vituperavit Gilbertus rei repetitionem (violasse fidem + laesus amor), inertiorem imitationibus elocutionem (cf. p. 150, ann. 3), omissam copulam, adiectivum „Cytheriacis“, sententiarum nexum male interruptum. Ceterum de una omissae copulae offensione Theod. Winter (diss. Marp. 1907 de ellipsi verbi „esse“ apud Catullum, Vergilium, Ovid., Stat., Iuvenal. obvia capita II) multa exempla attulit Ovidium ne veram ellipsin quidem illius verbi vitavisse, nedum solam omissionem.

[2]) Quod hic Ovidius cum Marone discrepat — monuerat enim in epico carmine Aenean Mercurius (v. 562) ventum proficiscendi secundum esse — sive menti rhetoricae tribuendum est, sive omittenti poetae totum deorum apparatum epicum. Accedit, quod O. ad suum statum alias easque priores exemplaris partes interim redegit (52 sq., 309/310), postea autem ad illud quoque argumentum per concessionem quidem accessit, v. 55: „Ut pelago suadente etiam retinacula solvas“, cf. v. 139.

[3]) De quibus accuratiora vide in cap. II.

[4]) Valde augetur cogitatio versus 44 „iustior e. q. s.“ in proximo hexametro, ubi perfidus ille appellatur „inique“. Quod neglexerunt

„Non ego sum tanti —
Ut pereas, dum me per freta longa fugis!“ [1])

Quid vero, quaeso, legendum est in altero hexametri dimidio? Corruptelam hic obstare codicum profitetur Sedlmayer (ed.). Ibi autem allatis variis virorum doctorum coniecturis [2]) complures postea hae accesserunt: quod non merearis Guil. Peters l. l. p. 11; quod non crederis, inique Gilbert l. l.; quid? num censebis inique? Ribbeck mus. Rhen. 1890, p. 315; de qua censeris inique, coll. ex Ponto II, 5. 73; III, 1. 75, A. Zingerle opuscula philol. Oenip. 1887, IV, 17/8; quid enim causaris, inique? Schenkl (apud Sedlmayerum, cf. praef. ed. XIV); quid me verearis, inique? (propter „fugis“ 46) Owen class. review III, 212; quidni cuncteris, inique? Ehwald in ed. Merkel. 1903, XVII. Quicumque vereor ne parum respexerint, quod idem Sedlmayer alibi (comm. crit. p. 13) commemoraverat. Litteras enim, quae sub rasura Parisini codicis exstiterunt, Zechmeister, qui ipse codicem inspexit, ‚r‘ et ‚t‘ fuisse iudicavit. Habes igitur „certeris“. Unde litteratura paululo mutata nec non contextu perpenso Ovidium scripsisse mihi persuasi:

Non ego sum tanti — quid? non verteris (Fut.), inique? —

Fac enim memineris summam spem hic ab heroide in eo poni, quod sese humillime summittens superbum perfidi animum superbiaeque liberalitatem adiit.

Abhinc delabitur poeta cum continuat seriem sententiarum „iustior“, „non ego sum tanti“, „inique“ per novum distichon 47/48:

„Exerces pretiosa odia et constantia magno
Si, dum me careas, sit tibi vile mori“ —

ita ut utroque disticho 45/6 47/8 eadem quidem sententia exponatur, novum tamen acumen illatum sit verbis contrarie relatis

---

ut multi viri docti ita ipse F. Leo in rec. „Deutsche Liter.-Ztg.“ 1887 p. 1806: „nicht unbillig wird dein Wert geschätzt.“

[1]) Totum distichon depromptum est, mutatione scil., ex his duobus acutissimis verbis Vergilianis (314): „Mene fugis?“

[2]) Sunt, ut omittam librariorum (velut Etonensis) tentamina, hae: „quod non verearis; quid enim verearis; quid non tu reris; quanti tu reris; quid nos metiris inique.“

(47/8) „pretiosa odia, constantia magno > vile mori" prae priore disticho, quod languore quodam orationis laborat. Quapropter durum distichon 45/6 sive praebuit novarum facetiarum facultatem, quibus ipsum caruerat, sive ipsum debetur demum disticho sequenti, quippe quod poetae postea egere visum sit et transitu et explicatione.[1])

Iam vero postquam Dido — in transcursu interim[2]) — recurrit ad differendi saltem conatum 49/50:

„Iam venti ponent strataque aequaliter unda
Caeruleis Triton per mare curret aquis."

ita ingenium venditavit Ovidius, ut annecteret sane venuste dictum, a proposita tamen argumentatione iterum alienum 51: „Tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses!"[3]) Quo praemisso bonam spem sese fovere subito herois simulat de precum suarum eventu 52: „Et nisi duritia robora vincis, eris", etsi in proximo etiam pentametro ipsa contrarium profitetur (54): „Expertae totiens tam male credis aquae." Ubi rursus (cf. 43/44) complures longioresque cogitationes valde contractae sunt, nimirum, ut ipsum distichon satis concluderetur[4]): in mentem enim venerat mulieri omnes in partes circumspicienti fieri quidem posse (cf. Quid?[5]) si!), ut amatus maris pericula quanta sint ipse nesciat; perrectura est videlicet infelix illa: „at haec quidem spes me fallit, cum totiens tamque diu pelagum temptaveris — quod ipse mihi narravisti." Huic autem nudo aptissimoque, quamvis frustra adhibito, argumento fieri non potuit in Nasone, quin accesserit tertia

---

[1]) Quod si vidissent viri docti, interpolatorem deprehendisse sibi visi essent.

[2]) Explanatius vv 171—180 v. i.

[3]) Iam antea Ov. et suadendo precum colorem admiscuit, sicut eidem colores mixti sunt in ipsarum precum parte, cf. ann. 2.

[4]) Ovidium non modo concinnitate distichorum ceteros elegiarum auctores multo superavisse, sed etiam eius modi versuum indolem elegiacam ne in transformationum quidem hexametros transferre nequiisse constat, cf. cap. II, nuperrime egit de hoc etiam Maccari: De Ovidii mett. distichis, Sienae 1907; cf. Wochenschr. f. kl. Phil. 1908, 162/3.

[5]) Frustra igitur coniecit Bentley „quasi", ceterum pergens „nescires" non, quod attulit Sedlm., „nescieris", cf. Hedicke: Ovidius Bentleianus 1905, p. 7.

sententia de Aenea aequori rursus male confidente, quo apertior fieret querelarum status. Et callidissime in medio totius ita compositi enuntiati apparet illud initio a tenore distichi sane alienum: „tam male“, quod certe novi cuiusdam distichi fuisset: „At male pelagum expertus es, si nihil metus inde percepisti!“ —

Pergit poeta vv 55/6 sq. argumenta in deterrendo collocare atque arripit, per concessionem quidem, Vergilii sententiam (562) quam antea neglexerat[1]): ut ipso pelago suadeatur iter: „multa tamen latus tristia pontus habet.“ Quod autem post hanc minandi cogitationem periculum erat, ne sua sponte afficeretur oratio malevolentiae cuiusdam specie (cf. vv 57—60, v. s.), quae etsi optime epicae poeseos heroinam, male tamen elegiae mulierem decuit, prudenter sibi temperavit Ovidius. Aperte enim id contra studebat, ut confirmaret suae heroidos mores admodum alios revera esse atque Vergilianae:

61/2 Perdita ne perdam, timeo noceamve nocenti
Neu bibat aequoreas naufragus hostis[2]) aquas
63 Vive precor[3]) —
65/6 Finge, age, te rapido — nullum sit in omine pondus —
Turbine deprendi e. q. s.

Quantum vero hic intersit inter utrumque poetam etsi eodem

---

[1]) Cf. p. 151, ann. 2.

[2]) Male correxit Riese poetam: „hospes“. haec enim est acies distichi Nasoniana: respondent inter se verba „nocens“ et „hostis“ (cf. Aen. IV, 424): „benevolentia utitur Dido erga malevolentem.“ Quae nocentis obiurgatio acriorem vim accepit in Nasonis imitatione AL (R.) I, 83, cf. v 9: Troiane nocens haec dona remittis? vv 38/9 nam quo fugis? unde recursus? vota nocentis habes. 99 quis vota nocentis habere (vellet)? 124: Improbe dure nocens crudelis perfide fallere officiis ingrate meis!

[3]) Initio eodem relaturus fuerit poeta vv 63/4: „Vive precor“ — (cf. pentam.). At nequiit sese continere Ovidius, fortasse propter nimiam exemplaris auctoritatem, quin procederet ad cogitationem sane facetam, a loco tamen quantumvis alienam (cf. „nullum sit in omine pondus“): „Sic te melius quam funere perdam“, scil. cum expositus eris crudelibus Eumenidum vexationibus. — Prudenter autem simul id curavit, ne nimium vituperaremus vitium, cum medium elegit sermonem „perdam“, sed cf. v 61.

cogitationum fundamento substrato patet ex hisce verbis Vergilianis, 382 sq.:

„Spero equidem mediis si quid pia numina possunt
Supplicia hausurum scopulis et nomine Dido
Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens
Et cum frigida mors anima seduxerit artus
Omnibus umbra locis adero. Dabis improbe poenas!“

Quibus adiungi potest imprecatio atrocissima Aen. IV, 593 sq. 600—629: Ovidius igitur cum ita irasci suam mulierem — non heroinam — nollet, ipse autem altera ex parte a se non impetraret, quin aptissime inventa illa exemplaris plane omitteret, sapienter refugit ad nudam fictionem quidem earundem rerum, quae apud Vergilium volentis sperantisque erant heroidos: „Finge, age! — nullum sit in omine pondus,“ — ea nimirum mente, ut malae conscientiae imagines depingeret („quid tibi mentis erit?“) 65—70:

67: Protinus occurrent falsae periuria linguae
Et Phrygia Dido fraude coacta mori
Coniugis ante oculos deceptae stabit imago
Tristis et effusis sanguinolenta comis

Huc autem accedentium versuum 71/2 conclamatissimus est hexameter,[1]) de quo viris doctis Madvigii Palmerique emendationem uno ore probantibus [2])

„Quid tanti est, ut tum „merui, concedite“ dicas?“

nequeo nunc iam assentiri veram corruptelae naturam aliam esse arbitrans. Proficiscendum enim sit ab interrogatione, quam haud fortuito (v. s.) praemisit Dido: „quid tibi mentis erit?“ Quapropter forsitan et disticha sequentia (67—70) interrogandi vicem revera obtinent, praesertim cum Nasonis Dido ne in fictione quidem ausa sit tales res sine ulla dubitatione pronuntiare. Quod tamen fiat, neutiquam opus est, cum quacumque forma continuent

---

[1]) Attulit has virorum doctorum coniecturas Sedlmayer: Quid causae est „totum merui“ quin conscie dicas (Merkel). — Quid tanti est odium merui cur caelite dicas (L. Mueller). — Quid? tanti es? totum merui concedite (Birt, qui tamen postea fecit cum Madvigio).

[2]) Velut Sedlmayero, Birtio (nisi quod „Quid?“), Ehwaldio.

vv 67 sq. fictionem illam atque spectent nonnisi ad rem quae fieri possit.

Quod si contemplaris, quid dicis de versu 71? Nempe non modo ad eundem fictionis statum, sed etiam ad ibi electas condiciones optime pertinet, quod praebent codices o (et E): „quid id est“ vel „quidquid erit“. Quod equidem non iam dubito ad poetam ipsum referre.[1] Deinde quod hic illic — plerumque debitum correctoris manui — legitur „totum“, sua sponte quasi irrepsit — ut taceam de creberrimo[2] scribendi errore quo confunduntur in codicibus „totum“ et „tutum“ vocabula — in archetypo pro „tutum“ obscure dicto ex notione quae insidebat verbis illis „quidquid erit“. Ecce enascitur ex ipsis codicibus optima lectio, quam confidenter ipsius Nasonis esse puto:

„Quidquid erit: tu tum „merui; concidite“ (sic!)[3] dices“
(dices GEω!).

His autem absolutis (55—72) auctor sese non nudam fictionem protulisse opinatus, sed veri status vera argumenta (procellarum iter prohibentium) insuper acumine quodam pelliciente: „da breve saevitiae spatium pelagique tuaeque! (73) ad morandi conatum (73/4) iterum recurrit, non sine suasoriarum causa quadam capitali usurpata: „grande morae pretium tuta futura via est.“[4] Ubi id quoque memorabile est Ovidium cum scripsit: „grande pretium — breve spatium“ ultro summopere acuisse distichi orationem.

Hinc vero ratiocinandi flumen, cum volvitur in distichon 75/6, magnas volvit ut ita dicam vortices. Versibus enim

„Nec mihi tu curae; puero parcatur Iulo!
Te satis est titulum mortis habere meae“

non modo sanam conciunamque compositionem desideres, sed etiam rectam continuandi rationem, cum perquam mirifice loquatur Dido: „nec mihi tu curae“, postquam Aeneae saluti sese con-

---

[1]) Eandem lectionem (Quidquid erit) recepit etiam Bentley (pergit autem: „totum“).

[2]) Cf. ep. IX, 15; XVIII, 92. 208; Ehwald, Burs. annal. 1894, p. 82.

[3]) Cf. pentametri „cadent“, scil. „fulmina“. „Concidite“ scripsit iam Jurenca, Zeitschr. f. österr. Gymn. 1886, p. 186 („Quid tanti est!“)

[4]) Admonet hic Ovidius versus 47 („pretiosa odia“).

sulere et providere quam diligentissime exposuit. Nihilominus coniecturis ne hic quidem opus est.[1]

Confluxerunt enim conscribenti tribus a partibus cogitationes hae: ficturus est poeta Vergilio duce subito Didonem ascendentem ad heroicum quendam animi motum, quo quasi ad irritum redigat superbia repentina curas illas, quas adhuc enarraverat de amato: „Nec mihi tu curae!“ Quocum consilio iisdem in verbis coniungitur — quod haud scio utrum simplicitatis sit an ironiae — conscientia hosce omnes timores tantummodo rhetorice inventos fuisse et revera eandem vim habere atque curarum — inutilium — de Didone ipsa. Ac profecto discimus ex pentametro hanc quoque rem subiisse auctoris animo, ita ut fundamentum distichi hoc fuisse putandum sit: „Nihil *mea* iam interest, quid *mihi* accidat (videlicet cum iam moritura sim).[2] At Iulo obsecro parcatur, satis enim est te *meae* mortis auctorem esse.“ Altera ex parte fac consideres Nasoni clanculum cogitationes hac serie associari: 44 iustior 45 non ego sum tanti — inique! 47 odia pretiosa 52 duritia 57/8 violasse fidem — perfidia 61/2 perdita — hostis 64 tu leti auctor 67/8 periuria. Dido fraude coacta mori. 69/70 coniunx decepta. 71 mortem te meruisse intelleges? 77 quid puer Ascanius, quid di meruere Penates? 85 me merentem ure (sic!). — His auditis quid iudicas de versibus 75/76? Nempe ab hac altera parte ita potius poeta initio acuturus fuit distichon: „Tu quidem ne intereas nihil curo, cum capitis poena quam dignissimus sis (cf. pentam.). At nihil mehercle Ascanius peccavit.“ Qua in re fieri quidem potest, ut Ovidio innocentis pueri in mentem venerit ut novi argumenti, quo etiam Aenean patrem uno tempore retineret Dido: „Non tua causa iter periculosum differendum est, sed pueri.“ — In

---

[1]) Coniecturis molestiam tollere inde ab Etonensis codicis auctore („Nec tibi sum — *suprascr.* ‚mihi tu‘ — curae“, o (+ Planudes) „nec mihi tu parcas“ vel „n. m. parcatur“) etiam atque etiam viri docti operam perdiderunt. Has tantum recentiorum affero; Palmeri: Nec mihi tu curo parcas, parcatur Iulo (qui tamen postea totum distichon in suspicionem vocare maluit (cf. ed.); Housmani (Class. rev. 1897): Haec minus ut cures; Purseri (in ed. Palm. praef. p. 55, ann. 3): Nec mihi tu cura; Damstei (Mnemosyne 1905, p. 25): Nec mihi securae (!!).

[2]) Obstat pentametri „te“ vocula gravissime in primo loco posita v. i.

labyrinthum igitur incidit poeta. Sed cum qua via illuc pervenerit nunc appareat, coniecturarum filum equidem incluso suppeditare non audebo, quippe qui eius modi subsidium ipse fastidivisset, certe non ignorans minima quaque mutatione prohiberi, ne omnes illae cogitationes oppositionesque coartentur unum in distichon.

Hac data occasione — Ascanii Penatumque commemoratorum — repente epici auctoris vim non modo affectat Naso, sed etiam, haud ita commode,[1]) superare gestit in versibus 79/80:

„Sed neque fers tecum nec quae, mihi, perfide, iactas,
Presserunt umeros sacra paterque tuos.
Omnia mentiris — e. q. s.“

quibus omnino distichorum antecedentium argumenta (quid di meruere Penates? — Ignibus ereptos obruet unda deos!) ad irritum redigi ipse minime nesciit (cf. „Sed!“). Sed bono animo sis: summa huius audaciae[2]) rursus iam in elegiae mollitiam abiit, cum sui ipsius credulitatem (85 sq.)[3]) liberalitatemque (87 sq. 89/90 e. q. s.) misere desperatoque animo accuset Dido idque sine ullo ulciscendi consilio, 85/6:

„Haec mihi narraras, at (Sedlm. „haec“) me movere! merentem
Ure,[4]) minor culpa poena futura mea est.“

Quocum iterum compares quaeso, quomodo Vergilii heroina ex similibus recordationibus deis ipsis maledixerit, minas periculaque in caput perfidi detestata sit, per ironiam acerrimam non iam ipsius amati narrationum, sed famae tantum („aiunt“) meminerit de Anchise patre penatibusque servatis e. q. s. 371 sq. 597—617 sq. Quod autem attinet ad versus 81—84,[5]) mirificum

[1]) Cf. Piéri, p. 53.

[2]) Aegre tulit Lehrsius, p. CCXLIV, quod talibus maledictis herois parum apte amatum adiret, utpote quem studeret retinere. At idem vehementer erravit verae suasoriae veraeque epistulae indolem esse carminis: secum ipsa loquitur Dido! v. s.

[3]) Idem postea apertius dixit Ov. her. XII, 119/120.

[4]) Sic recte Sedlmayer, cf. comm. crit. p. 13/4. — Frustra dubitaverunt Housman (Class. rev. 1897); Purserusque (ed. Palm. 55, ann. 4) de lectione „movere“ [„sat me monuere“] v. i.

[5]) Legendum est v 82 plector (Po) cf. Leo, Deutsche Lit.-Ztg. 1887, p. 88; vana vero Etonensis coniectura: „fallar“.

additamentum hic exstare puto, quod primario veroque orationis tenori, fortasse in retractatione, insertum est ab Ovidio. Atque opinionem minime nos fefellisse procul dubio apparet ex versu 85: „haec (cod. P.: hoc!) mihi narraras" — Nempe Aeneas Didoni non narraverat „Creusam solam occidisse a se duro coniuge relictam" — quod, etsi dubie dictum est, nihilominus opprobrii cuiusdam colorem, praesertim in heroidibus, prae se fert. Contra celeberrima est comploratio Aeneae narratoris (Aen. II, 562—800),[1] quod Creusa amatissima coniunx secum fugiens repente infesta Fortuna (sed cf. ann. 1) perierit. Illud vero ineptum quî acciderit satis nunc apertum est: versus 85 initio excipiebat versum 80. At cum Ovidius sese non contineret, quin usitatissimam rem sive solaminis sive querelae instar adiungeret de aliis feminis ab eodem amato iam deceptis, Aeneidos librum secundum ut fontem adiit atque Maronis narrationem suo mendaciorum loco addidit. Quod sane ab omni parte sanum fuisset — nisi hac in re ita conscripsisset Ovidius, ut statim ad alienam sententiam Vergilio opponendam procederet, auctoris autem ipsius descriptionem propter praecipitem accusandi affectum eodem negandi modo atque in versibus 79/80 (sed neque fers" e. q. s.) refutare omitteret. Itaque cum tali modo poetam peccavisse[2]) versu 85 nequaquam respiciatur („haec mihi narraras"), contra — unde apertius illud vitium fit — continuo addatur: „at me movere! merentem ure" liquet Didonem hic dolere, quod parum perfidi narrationibus diffisa sit,

[1]) Cf. etiam merae pietatis solatium Aen. II, 776 sq.

[2]) An cogitandum est de vero interpolatore? Nempe ad unum narrationis argumentum spectat quod invenitur in praeclarissimo codice P.: „hoc" (pro „haec"). Accedit, quod mirificam imitationem Ovidiani usus redolent verba: „si quaeras ubi sit" — haud ita bene huic loco convenientia (optime autem e. g. ep. IV, 113 sq. 119!). — Sed satis sit statuisse parum caute hic conscripsisse Nasonem. Retractationis autem coniectura non modo ex imitatione illa posterioris epistulae IV, sed etiam inde fortasse quodam modo fulcitur, quod sequentis partis — narrationis — colorem („non prima plector") nonnisi postea priori illi loco videtur intulisse O. — Postremo afferam Bentleium (cf. Hedicke, p. 8; Palmer, p. 513, omisit hoc iudicium Sedlmayer) disticha 85—88 circumscripsisse idque haud scio an ex simili simul offensione, quam nos statuimus de disticho 85/6. Sed carere non possumus versibus 85 sq., quippe quibus O. nisus est ad transitum muniendum.

nempe ad malum Troianorum casum, ad fugam praecipitatam, ad Creusae mortem miserrimam absque Aenea ipso quam vehementissime defletam, ad patrem penatesque servatos pertinentibus. Unde simul apparet, quanta levitate Ovidius aut diversas partes Vergilianas contaminaverit aut — quod hic in medio relinquo — in retractatione carminis versatus sit, cum ipsi mentiendi notioni nimiam immature fidem habuit prae sana sermonis continuatione.

Hinc autem sponte quasi transiit herois ad novam dictionis partem, qua non tam de amato adque amatum verba faceret causasve remanendi proponeret, quam ad se ipsam in declamando esse convertens querendo enarraret, qualibus meritis, quali culpa, quali condicione tristissima ipsa esset. Ut vero omittam optime Ovidium Aeneae narratione allata (v 85 sq. „narraras“) heroidem ipsam narrationem nunc aggredientem finxisse: frustra vituperaverunt viri docti,[1]) quod in heroidum epistulis multa eaque longius exponerentur, quae accipientibus epistulas iamdudum quam notissima essent. Verum enimvero non modo nefas est talia reprehendere in genere declamatorio, sed etiam minime cadunt tales obiurgationes hic quidem in Ovidium, utpote quem Didonis epistulam nullam scripsisse probaverimus.

Deinde quod ad dispositionem attinet, forsitan haud fortuito factum est, ut eiusdem fere versuum ambitus (c. 50 vv) conscripta sit utraque declamationis principalis quam putamus pars: 37—86 (85/6 transitus) 87—138 (v. s.). Porro huius narrationis ratio perquam nova aliaque fiat, ipsa rei natura postulat. Ac profecto in sola quasi elegia aliquamdiu nunc versamur, ubi nihil fere interim accipimus, quod ad Aenean spectet vel retinendum vel accusandum. Nec mediocri arte hic potissimum opus erat poetae varias diversasque Vergiliani carminis partes non modo ad unum narrationis statum contaminanti, sed etiam in novum elegiae usum ita convertenti, ut uno tempore misericordiam impetraret herois — id quod in fine quidem narrationis magis magisque poeta egit.

Ac primum fac memineris meritis illis commemoratis plane aliter animum Didonis tangi atque apud Vergilium: rapitur epici

---

1) e. g. Ehwald, exeget. Kommentar zur 14. Heroide. Gothae 1900, p. 3.

carminis heroina ad atrocissimam dementiam, qua non iam dubitat et superos increpare,[1] 317 sq.:

„iam iam nec maxima Juno
nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis.
nusquam tuta fides. eiectum litore[2]) egentem
excepi et regni demens in parte locavi[3])
heu furiis incensa feror, nunc augur Apollo
nunc Liciae sortes, nunc et Jove missus ab ipso
interpres divum fert horrida iussa per auras.
Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat!“ —

Apud Ovidium contra misere confitetur mulier omnem culpam suam esse, quippe quae ne inde quidem suspicionem aliquam moverit, quod, dis scilicet adversariis, per septimam hiemem terra marique advena iam iactatus erat.[4]) Quin etiam ne beneficiorum quidem (89/90) sese paenitere profitetur, ut decet elegiae personam, dummodo his „officiis“ (!!) contenta ne ad concubitum perducta esset (91/2).[5]) Deinceps de huius connubii ipsius descriptione (93—96) affero recte Ric. Heinzium (Verg. ep. Techn. p. 128 et 354) laudavisse Vergilianam quam brevissimam heroicam-

---

[1]) Dicat quispiam talequid et apud imitatorem fieri v 107 sq. At admodum aliter res se habet. Versatur enim illic desperata mulier in mollissima suae culpae confessione et quod sui purgandi causa revocat ad Aeneae divam parentem vaferrime subaudiri vult Ovidius revera unam Venerem (amorem) culpam heroidos esse (cf. v 164) — Ceterum ieiunius attulit Vergilius Veneris loco quam accusaret ipsam Junonem Pronubam.

[2]) Quod durum dixerat Vergilius „eiectum litore“ pro „in litus (cf. Serv. ad l.) eleganter correxit Ovidius „fluctibus eiectum“. (Cf. Catulli c. 68, 3.)

[3]) Locandi notio restat ut in residuo apud Ov. v. 152. v. i.

[4]) vv 87/8 coniunguntur cum versibus 85 etiam oppositione hac latente: merentem ure! minor culpa poena mea erit: te certe tua numina damnabunt.

[5]) Ovidius ubi primum liber fuit ab exemplaris severi auctoritate non modo apertiorem indicavit harum rerum connexum, sed etiam suis obscoenioribus coloribus abusus est: Phyll. 55—58: „Nec moveor quod te iuvi portuque lacuque debuit haec meriti summa fuisse mei. Turpiter hospitium lecto cumulasse iugali Paenitet et lateri conseruisse latus.“ v. i.

que huius rei adumbrationem. Nostra autem permagni interest Ovidium quoque, qui certe lubentius talia vertebat in obscoenum, hic quidem auctore celeberrimo praegresso perbene sese continuisse, ita ut ingenium eius lascivissimum minus hic appareat prae epici exemplaris severitate.[1])

Postmodo cruci occurrimus, quam statuerunt viri docti in versibus 97 sq.:

„Exige laese pudor poenas violate Sychaei
Ad quas, me miseram, plena pudoris eo."

Quos inter in codicibus deterioribus inserti leguntur hi (violataque lecti):

„Jura nec ad cineres fama retenta meos
Vosque mei manes animaeque cinisque Sychaei.[2])

Ac primum ut praetercam coniecturas quas protulerunt Bentley,[3]) Merkel (sequitur Peters p. 52), Birt, Shuckburgh, alii, satis habeo Sedlmayeri sententiam afferre (comm. crit. p. 14), qui duos versus hic intercidisse[4]) sibi persuasit propter pudoris vocem bis in eodem disticho alia notione adhibitam. Quae tamen res ipsa contrariam poscit interpretationem. Etiamsi enim quod Sedlmayer diligenter observavit rectum sit, hoc quidem loco poetam dilucide indicavisse puto sese ab usu illo decessurum esse verborum lusus causa[5]) cum sapienter, ut unus quisque intellegeret alium pudorem esse hexametri alium pentametri, addidit vocabulis „laese pudor": „violate Sychaei" (pudor), ita ut glossema hic deprehendendum esse

---

[1]) Quo iure Jurenca, Beiträge z. Kritik d. ovid. Her. Vindob. 1881, p. 15 ad Ovidi auctoritatem (VII, 91 sq., II, 115 sq., VI, 45 sq.) Properti vv V, 3. 13—16 rettulerit, me quidem fugit ratio.

[2]) Hos versus recte contra Vahlenum (p. 38) qui laudibus extulerat ingeniosum necessariumque supplementum [cf. etiam Housman l. l. p. 55], Winterfeld (Gött. gel. Anz. 1899, p. 899) circumscripsit, frustra tamen lacunam hic hiantem aliunde supplendam esse ratus, item antea Ehwald, Burs. ann. 1882 (XXXI) p. 177.

[3]) Desideraverunt viri docti vocem, ad quam referrent illud pentametri: „ad quas eo." At cur non „ad poenas" herois tarda pudore itura est? — De lacuna hic n e g a n d a cf. etiam Riese, Literar. Centralblatt 1881, p. 535.

[4]) Qui tamen totum distichon 97/8 videtur delere maluisse.

[5]) Cf. etiam B i r t, Gött. gel. Anz. 1882, p. 856.

concedam, attamen glossema ipsius auctoris ludicre ludentis, non scioli cuiuslibet interpolatoris. Eodem vero tempore tamquam subridens id studebat Naso iuxta relatis illis verbis, ut quam brevissime profiteretur Dido sese connubium cum hospite initum minime pro „laeso pudore“ habituram fuisse, nisi antea, quod male in concubitu neglexerat, iam Sychaei coniunx fuisset — ubi Ovidius non modo Vergilianas sententias 15 sq. et 552 („non servata fides cineri promissa Sychaeo“) subaudiri vult, sed etiam minime ignorat Didonis pristinam, a Vergilio mutatam, fabulam illic pellucere.

Unde — descriptione Sychaeani sacrarii (99—102) inserta [1]) — prudenter transitus paratur ad plane novam narrationis rem — ad confessionem dico alteram Sychaei manibus habendam (97/8. 103. 104). Confessionem autem excipit nimirum deprecatio (105 da veniam [2]) culpae), deprecationem subsequuntur defensiones (105—110).

Quod propterea refero, quod non deerant, qui hanc esse rationem loci ignorantes valde hic haererent: velut Damsté (Mnemosyne 1905, p. 26/7) non dubitavit subditicios putare versus 107—110 — ut interpolatoris, qui quid rei esset de „auctore“ illo v 105 clarius illustrandum esse censuisset. Atqui accipimus hisce ipsis versibus summam Nasoniani propositi — quo iamdudum viam paraverat poeta quamque admodum lubenter suoque rhetorico insinuandi more fusius nunc tractabat.

Hinc autem quod continuat poeta narrationem, duo sunt pergendi consilia: unum ut novam afferat excusationem, alterum, ut ad Aenean pedetemptim redeat oratio. Primum enim fatum appellat Dido nempe sui ipsius defendendi causa 111/2:

„Durat in extremum vitaeque novissima nostrae
Prosequitur fati qui fuit ante tenor.“

---

[1]) Curavit hic Ov. — sinistra Fortuna, cf. etiam Piéri p. 53 — ne eandem rem plane iisdem verbis depingeret atque Vergilius (457 sq.). Eloquendi autem mutationes si quae sint debentur scil. accuratiori ἐκφράσεων doctrinae qua quam Verg. fuit imitator. Cf. cap. II. Quod autem Rossbach (P.-W. s. v. Dido) vv 101/2 omnino ab Ovidio inventos esse voluit sufficit delegare ad Aen. IV, 460 sq. Quam rem Ov. tantummodo clariorem reddidit, non sine languore quodam.

[2]) Parum recte interpunxit Damsté (v. i.) „da veniam! culpae“, ut relationem redderet „idoneo auctori“ quam omitti posse frustra — ut in aperta re — negabat.

Quam rem ut comprobet, vertitur poeta ad enarrandas Vergiliani libri primi res tristissimas: de Sychaeo coniuge necato,[1]) de fratre interfectore,[2]) de heroide ipsa exule peregrinaque femina, bellorum procorumque periculis obiecta. At obliviscitur[3]) Ovidius in versus magis has omnes res miserrimas ideo sese narrare, ut fatum quantum potuerit in Didone excusandi causa demonstret, immo herois epico auctoris flumine labente denatat in generalem miseriae suae narrationem — qua tamen misericordiam simul apte adit hospitis.

Quibus propositis in animo Nasonis tertium accessit hoc: Vergilius enim ut narrationum ita suasoriae quoque auctor est, cum sororis Annae ore (IV, 30—52) haud alias causas proposuit Didoni — nisi quod ipse initio spectavit ad pudorem superandum. At vereor, ne idem primum voluerit imitator, si quidem recte respexit sese in excusatione hic versari, idque ita fere: „nulla alia mente omnem pudorem dimisi, nisi quo tutius Carthaginis regnum ab hostibus atrocissimis vir defenderet."

Ac profecto hoc poetae obversatum esse discimus ex dicto versus 111: „si fuit errandum, causas habet error honestas", quod cum ad antecedentia potius pentameter („adde fidem!" cf. „decepit idoneus auctor" e. q. s.) pertineat, certe versibus qui sequuntur generaliter pro propositione praemissum est. — Attamen omnino neglexit hanc rursus rem Ovidius, quippe cui iam pridem in animo fuit ad retinendi argumentationem regredi, quam narratione sua longius iam interruperat. Praeterea haud scio an id quoque aliquid valuerit deliberanti, quod ipse Vergilius indidem continuo ad alterius suasoriae propositum contenderat

---

[1]) Corruptissimus verborum contextus v 115: occidit in terras, internas, externas, in terris e. q. s. desideratur autem ararum epitheton, quo gravius damnet herois Pygmalionis facinus. fortasse: „aeternas".

[2]) Vehementer in uno disticho 115/6 coniunx fraterque audiuntur, quo melius fatalis quae fuit generis fortuna illustretur. Qua in re valde acuit Ov. Vergilianam elocutionem IV, 20/1.

[3]) En quam male cesserit Nasoni tragicorum more (cf. Phaedrae ep. cap. II) fato maiores partes attribuere in minus idoneo Didonis argumento. In epico enim carmine nihil in mentem venit Didoni fatum generis quam violenter saevierit in se suamque domum conqueri — nisi forte quam brevissime dictum morientis heroinae ansam huius rationis dedit imitatori: 653 „vixi et quem dederat cursum fortuna peregi."

spectantis ad amatum retinendum procellarum, pelagi, aliis verae condicionis argumentis (IV, 51/2).[1])

Tres igitur quattuorve rationes conscribendi contaminavit hic Ovidius, ita nimirum, ut harum nulla satis iam perspicua sit, nulla integra. — Iam vero videamus, quomodo poeta extremam narrationem magis magisque ad Aenean rettulerit. Cuius rei optimum — non unicum — exemplum praebetur in versu 127: „Est etiam frater."

Nempe Ovidius antea iam verba fecerat de Pygmalione (113. 114. 117). Nihilominus nunc repente frater inducitur ut plane nova fabulae persona — quid dicis? Placeat recurrere ad Maronem: certe enim imitator cum conscripsit versus 113/4, sese applicavit ad versus 20 sq. quarti libri Aeneidos, ubi heroina in transcursu mortui Sychaei fraternaeque caedis recordata dubitavit, utrum amorem primum (i. e. pudorem) servaret an desereret. Cuius deliberativae dubitationes paulo post ut diximus removit Anna (31—53, cf. 55 „solvit pudorem"), cum ad commoditatem revocavit sororem, afferens finitimorum pericula, procorum odia nec non „germani minas". Itaque fieri quidem potuit, ut Ovidius auctorem subsequens bis ad fratrem inducendum accesserit, cum pro nihilo putavit apud Vergilium duas personas locutas esse. Et aliud excusare possis. Illae enim inopiae quippe quae notissimae erant Aeneidos lectori ex primo libro, Nasoni dili-

[1]) Mirum videatur, quod suasoriae propositum versuum 51—53 („causasque innecte morandi dum pelago desaevit hiems et aquosus Orion — quassataeque rates dum non tractabile caelum") in Aeneidos proximo processu non perficitur. Quod vile est conicere propterea factum esse, quod variis temporibus varia componendi consilia placuerint poetae. Tantum enim abest, ut recte viri docti, velut Sabbadini, Schueler, alii, aliis e causis initium libri IV (6—55) posterioribus poetae curis attribuere conati sint (cf. Heinze V. e. T., 124/5, ann. 2), ut ne ex nova quidem discrepantia, quam ipsi voluimus, talequid concludere liceat: minime enim illa res omnino neglegitur, contra eleganter fingit Vergilius sibi in eodem narrationis cursu epicae heroicaeque rationi magis idoneum visum esse interim quidem prohibere, ne heroina ad eius modi humiliores conatus ipsa iam descenderet, cf. v 76: „incipit effari mediaque in voce resistit." Quas vero causas postea proposuit Dido 307 sq., non modo novo iam precum complorationumque colore imbutae sunt, non verae suasoriae, sed etiam pertinent ad plane novam fabulae condicionem Aeneae scil. iam profecturi hospitis.

gentius exponendae erant ex ipso illo primi libri fonte. Huc autem delegato quam facillume accidit, ut digrediendo iterum Pygmalionem depromeret. Attamen ne hic quidem acquiescendum est — nisi quod iterum refugiamus opus erit ad periculum quoddam, quod obstiterit poetae diversos exemplaris locos contaminanti. Magis enim magisque circumspicit Naso in narrando, qua via revertatur herois ad Aenean: ecce iam in disticho 125/6 in eo est, ut per conclusionem tamquam relinquat Dido nudam narrationem atque conetur si non morari, tamen quodam modo movere Aenean novis narrationis causis. Huc autem commodissima oblata sunt posterioris desperationis verba Vergiliana perditis precibus subsequentia IV, 323/6:

„cui me moribundam deseris, hospes? —
quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater
destruat aut captam ducat Gaetulus Iarbas?“

Ac nova exstant indicia, quomodo Ovidius tempus esse putaverit insertam narrationis elegiam definire. Nam cum e. g. ait vv 131/132:

„Si tu cultor eras elapsis igne futurus,
Paenitet elapsos ignibus esse deos“ —

revertitur ad prioris partis ultima argumenta vv 77 sq., eadem insuper elocutione adhibita:

„Quid di meruere Penates —
Ignibus ereptos obruet unda deos.
Sed neque fers tecum e. q. s.“

Quo ut perveniret oratio opus erat transitu distichi 129/130:

„Pone deos et quae tangendo sacra profanas!
Non bene caelestis impia dextra colit“,

quod ipsum iterum debetur fraterni sceleris ante aras commissi novatae recordationi 127/8 (v. s.)

„Est etiam frater, cuius manus impia possit
Respergi nostro, sparsa cruore viri“,

ita ut labentem quidem cernas Ovidium, labentem tamen non sine interiore quadam ratione. —

Huc ergo cum venimus sensim ad huius partis exitum appropinquamus, quo tristissimam elegiae rem depromit Dido, qua graviorem reddat miserationem una cum narratione ipsa (cf. „fatis", „poena") bene finita. At tantum abest, ut subsistat Naso in versibus 133/4 de Aenea fortasse etiam gravidam mulierem crudeliter relicturo, ut cum rhetorica verborum magnificentia extremum huius sententiae acumen arripiat, vv 135—138,[1]) quo id quoque certius fiat repente sese recordari, quod sibi proposuerat (v. s.) pluribus narrare de fato, quamquam de fato etiam culpae auctore propositum sibi fuisse iam dudum nesciit: „minime acquiescit fatum generis in Sychaeo interfecto, fratre scelerato, Didone ipsa exule absque altero quoque amato misere relicta, contra saevit etiam in posterioris generis personam nondum natam." Nostro denique iure huius partis terminum post versum 138 nos statuisse ipse insuper poeta docet, cum admodum abrupte narrandi elegia finita loquitur v 139: „Sed iubet ire deus." [2]) — nempe ut heroidem expergiscentem fingat et redeuntem ad veriora retinendi argumenta. Etiamsi enim mollissimi animi mulier non audet tali pietatis argumento continuo occurrere atque satis habet interim deum complorare, qui adventum perfidi non prohibuerit,[3]) nihilominus Marone praeeunte brevi post Ovidius incidit

[1]) Apertum est pro diversa ratione poetica aliquantum hic differre inter se Vergilium (IV, 327 sq.) Nasonemque, cf. etiam Zielinski (Philologus 1905, LXIV, p. 17): „Für die Heroine wäre das Kind ein Trost, für das Weib ist es nur ein Schrecknis mehr." Qua in re praeterea agedum non modo novum fati contextum animadvertas [v. s.], sed etiam veram artem poeticam admireris, qua Vergilius locum suum etsi heroicum summa cum teneritate conscripsit. Ut enim taceam de rhetoricis verborum argutiis (de quibus cf. cap. II): imitator quantumvis elegiacus teneritatem tum efficere non potuit, nisi descendendo ad miserabilem animi mollitiem („Sentimentalität"). Quod idem etiamnunc eorum potissimum est, qui ut tirones in poeseos castra proficiscuntur.

[2]) Haud inepte imitatur hic Ovidius Vergilianam brevitatis vim 361: „Italiam non sponte sequor." Sed quod iam Servius de versu imperfecto recte annotaverat: „oratorie ibi finivit, ubi vis argumenti consistit", Ovidius huic ipsi abrupte dicto sese applicavit, ut inde nova complorandi stamina duceret, quasi consulto obsistens ita precanti Aeneae: ‚Desine meque tuis incendere teque querelis."

[3]) Sententiae sane Maronianae (cf. 271 sq. 440. 657) aciem verborum

in heroicae cuiusdam ironiae affectum (v 141 sq.), quocum sua sponte quasi coniunguntur procellarum, pelagi alia gravissima prioris partis argumenta.

Ac minime casu factum est, ut easdem causas quas iam protulerat in dictionis prooemio (v. s.) iterum hic proferre placuerit poetae, 141/2.[1]) 146 sqq.

„Nempe ut pervenias, quo cupis, hospes eris
Utque latet vitatque tuas abstrusa carinas,
Vix tibi continget terra petita seni.
Hos potius populos in dotem[2]) ambage remissa
Accipe et advectas Pygmalionis opes!“ [3])

---

contrarie relatorum intulit imitator: „ire — adire“ (cf. etiam Piéri, p. 46). Quali urbanitati Vergilius praeposuit gravitatem, hanc autem posuit in acerbissima ironia, qua versus 657/8 respiciunt versus initii: 456: „Dis equidem auspicibus reor et Iunone secunda — Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.“

[1]) Inseruntur vv 143 sq. ad Vergilianam indignationem 311 sq. referendi. Ceterum debent editores cum Riesio (codd. PGEω) „Thybridis“ scribere, cf. Leo, D. Lit.-Ztg. 1881, p. 81. — cf. Aen. III, 500; Ovid. Met. XV, 432.

[2]) Res dotalis topicam accepit vim in heroidibus [cf. e. g. Zöllner, Anal. Ov., Diss. Lips. 1892, p. 16] eamque vereor ne ex recordatione quadam praecepti rhetorici, remunerationis scil., de qua cf. Serv. ad Aen. I, 65: „rhetoricum est in omni petitione haec observare, ut possit praestare qui petitur, ut sit possibilitas, ut sit res iusta quae petitur, ut habet modum petitio, ut sequatur remuneratio.“

[3]) Mirati sunt omnium temporum interpretes (cf. e. g. Ruhnkenii dict. ad her.) de opibus Pygmalionis (Aen. I, 364), quippe quae non Pygmalionis, sed Sychaei fuerant. Quod autem Ovidius non dubitavit etiam mirificum aliquod auctoris dictum recipere, memorabile est haud incaute eum pro verbo Vergiliano prudenter addito „avari“ similiter interpretandi causa adiunxisse „advectas“ i. e. „opes avaro fratri feliciter ereptas“. Ac profecto iam Servius talem interpretationem protulit: „opes quas iam Pygm. suas putabat.“ Idem autem quod hac data occasione novam quandam et singularem fabulam narravit, bene prohibuit Ovidius („advectas“), ne nimiam haberemus fidem fabulatoribus [„sciendum quod clam tangit historiam. moris enim erat, ut de pecunia publica Phoenices misso a rege auro de peregrinis frumenta conveherent. Dido autem a Pygmalione ad hunc usum paratas naves abstulerat, quam cum fugientem a fratre missi sequerentur, aurum illa praecipitavit in mare, qua re visa sequentes reversi sunt. licet et alio ordine historia ista narretur!“]

In aperto enim est auctori hanc extremam partem incipienti haud parvas difficultates obstitisse, cum copia materiaque argumentorum sive verorum sive fictorum ante insertam illam narrationem iam consumpta esset. Ac profecto ut omittam variationes et amplificationes, vv 141—152, 169—176 huic extremae parti praeter mirificam muneris inventionem versuum 153/6 (praebebimus hostem) iam nihil relictum est nisi preces humillimae,[1]) precibus autem ipsis misere et primo nimirum ab initio perditis ultimo loco tantummodo desperandi pronuntiatio: 181—186.

Hunc enim opinor complorationis parti totique declamationi verum atque solum epilogum, initio quidem, fuisse:

„Si minus, est animus nobis effundere vitam:
In me crudelis non potes esse diu.
Adspicias utinam quae sit scribentis imago:
Scribimus et gremio Troicus ensis adest,[2])
Perque genas lacrimae strictum labuntur in ensem,
Qui iam pro lacrimis sanguine tinctus erit."

---

[1]) Versus 157/158, quos Peters, Diss. l. p. 36, suspectos habuit, recte iam tutatus est Ehwald (Burs. ann. 1882). Nec pluribus refutandus est Jurenca, qui sequentia disticha (159—162) delere maluit (Zeitschr. f. österr. Gymn. 1883, p. 858/9). Quod autem Knaack, Analecta Alexandrino-Romana p. 32, ann. 44, in Phyllidos versibus 33 sqq. elegantiam Callimacheam odoratur, satis erit obicere hunc obsoletum iuris iurandi stilum esse.

[2]) Tales ostentationes consentaneae sunt rhetorico heroidum generi ac nihil valet Ovidio — quod Pierium offendit, p. 47 — minorem esse fidem dolenti, cum moriendi consilium „retegit verbis contrarie relatis". — Non minus frustra hic laedebatur Carol. Lehrs, l. l. p. CCXLIII sq., qui etsi ipse facere non potuit, quin ad carminis initium revocaret, nihilominus nullam inde suspicionem movit de vera carminis natura aeque aliena a vera suasoria atque ab epistula. Deinde quod idem arbiter huius modi exitum etiam discrepare iussit cum versibus antecedentibus (167—180), porro hosce ipsos versus iterum minime concinere cum prioribus, tales offensiones, quas ipsi iure quodam non carere concedimus, satis tamen nobis videmur dissolvisse, cum Nasonis usum imitandi, imprimis autem contaminandi difficultates quae obstiterint excusavimus. — Compositionis vero numeros (vv 37—186 = 3×50), quibus iterum ut versus conserventur suadetur, omnino hic omitto, ne Bellingii sectator videar.

Cui certe aptissimo[1]) fini pro appendice assuit Ovidius languidum illum alterum exitum 187—196[2]) quod quomodo et quibus de causis factum sit, satis dilucidum est.[3])

Restat, ut huius exeuntis carminis unam alteramve minutiorem

[1]) Dignum est memoratu ad hunc priorem exitum pertinere Amor. II, 18, 25 et eadem descriptione quam finalem fuisse putamus, forsitan perpaulo post, Canaces carmen (XI), 3/6, pro introitu exornatum esse. Persuasum enim habeo Canaces dictionem vere exordiri a versu 3 (Ehw.), versus autem 127/8 + 1/2 ex Propertio (V, 3) accedentes Ovidium sive ne initium duplicaret sive ut imitationem magis velaret carminis fini annectere maluisse. Quod autem nihilosecius vv „Si qua tamen" — in initio inveniuntur in codicibus, librariis debeatur, utpote qui Propertiani initii imitationem hic melius quam in disticho 127 8 (mandata) recognoverunt. (An mavis Ovidium initio versus 127/128 + 1/2 in fronte carminis posuisse, deinde in margine primi distichi annotavisse prius hoc initium fini annectendum esse; quod librarii tantummodo ad distichon prius pertinere putaverint?) Utique sic tandem omnes evanescunt et initii et exitus molestiae, ac frustra desiderarunt viri docti, velut Vahlen p. 7 sq. + 15, novum initium epistolare, frustra altercati sunt Heinsius, Palmer, Housman, Gilbert, Birt de versibus 127/8. „Tu" enim vocula ad fratrem pertinet ac „perfer" non est „transfer", sed „exsequendo patere". Obiter autem iudicavit Jacoby mus. Rhen. 1905, p. 71 ac media in via substitit Damsté l. l. p. 36/37.

[2]) Discrepantiam quam apud Vergilium inter vv 647 et 507 statuerunt viri docti, nullam esse recte iam Ric. Heinze (p. 139, ann. 2) docuit. Accedit, quod ipse imitator, commentatorum certe callidissimus, minime eodem modo haesit, cf. v 187: „Quam bene conveniunt fato tua munera nostro!" Quod autem attinet ad heroicum mortis voluntariae apparatum Vergilianum fieri non potuit, quin hanc quoque rem accomodaverit Naso ad humilem elegiae scribendique condicionem 183 sq.

[3]) Inde quod Annae sororis malae consultricis partes quas in initio libri IV finxerat Maro apud Ovidium omnino ignorantur nisi in appendice annexa, etsi ipse desperavi aliquid certius futurum esse de secundis num quae fuerint Aeneidos curis, denuo tamen id stabilitur, quod de vera Ovidiani carminis forma censuimus: neutiquam enim turbida sororis appellatio in epistula ad Aenean mittenda tolerari potest, suum autem locum habet vel admitti potest in nuda declamatione. Deinde de additamenti ratione quae sit habet fortasse aliquid momenti, quod postea poetae, in Fastis, III, 523 sqq., non solum accuratior res fuit de Anna sorore, sed etiam actum est de Didonis rogo titulique sepulcralis eadem verba iterata sunt. Sed cave nimis huic temporis rationi credas, cf. a. a. III, 39/40 et ep. II ex. Sufficit fortasse labendi usum elegiacum accusare. Ac Phyllidos declamatio, quam omnibus fere in partibus sine Didonis (Ariadnaeque) carmine [Phyllidos Ariadnae Didonis ut

quoque quaestionem criticam absolvam. Ac prima occurrit molestia conclamatissimi versus 152. Praebent codices meliores PGE (+ o + Planudes): „Inq.; loco“, idque P in rasura, m. 2, in posterioribus libris legitur: „Inque locum“ vel „Hicque loco“

argumenta ita fontes persaepe propterea confluunt, quod etiam Vergilius (cf. N. W. de Witt, Diss. Chicago 1907, p. 61 sq., The Dido episode in the Aeneid of Vergil) in quarto Aeneidos libro praeter Apollonianam Catulli narrationem (LXIV) secutus est. Unde quae novae prodeunt quaestiones hodie differendae sunt.] natam esse negari licet (v. s.) etiam in duplici conformatione epilogi ad her. VII videtur referenda: primum enim fingit Phyllis sese in maris fluctus corpus immissuram esse, deinde huic aptissimo fini (138) alterum annectit Ovidius Didonis more, ut primum — postquam certo auctore deficiente aberravit — fabulam qualis plerumque traditur (cf. Serv. ecl. V, 10. Ovidius rem. am. 603/4) melius respiceret de Phyllidos morte laqueis sponte facta, deinde ut simillimum Didoniano affigeret titulum sepulcralem. Sed tamen cum Ovidius praeterea de venenorum gladiique morte deliberantem fingat puellam ac, ne quid dubii restet, ipse subrideat de necis electu, haud scio an Didonis imitationi encheiridii cuiusdam notitia accesserit, quo variae referebantur historiae de Phyllidos morte qualis fuerit. Ac profecto nihil equidem puto contigisse Knaackio (Analecta Alex.-Romana Gryphisw. 1880, p. 29—48; Roscher, p. 2484 sqq.), ut Rohdio duce (gr. Roman [2] 504. 2) Callimachi auctoritati carmen Ovidianum adscriberet [vel Callimacheum poema hac quidem „imitatione“ comparata restitueret], cum sententiae quascumque Battiadae artem redolere iussit aut tritae fuerint (v. s.), aut ad Didonis Ariadnaeque dictiones sive ipsae redeant sive per mutationem quandam referendae sint. Quod autem gravissimum, quod ad Aetiorum elegiam spectare possit, inventio scil. Ἐννέα ὁδῶν aetiologica, in declamatione deest sicut altera nimirum quae exstat apud mythographos interpretatio (Phyllis φύλλα) — etsi nil valet ad Knaackium refellendum, tamen verisimile est Ovidium Phyllida ita in litore trepidantem hic quoque (cf. a. a. III, 37, rem. am. 601) lubentissime depicturum fuisse, si talequid illo tempore cognitum habuisset. Porro Phyllida sibimet ipsam manus attulisse valde posterioris cuius libet mythographi inventionem sapit sicut Calypsus quoque, nymphae nempe immortalis, mors voluntaria (cf. Hygin. 243) ac probabile est Phyllida (similiter de Byblide inter se dissentiunt testimonia) initio, apud Callimachum quoque, tantummodo ob desiderium mortuam mutatam esse (Serv. l. l. Hygin. 59). Quid vero dicis de Demophonte naufrago, cuius narrationi magnam Ovidius operam dat? nusquam exstat huius rei apud antiquos testimonium neque usquam certe debuit exstare. Demophontem enim Troia expugnata domum rediturum nonne praetervehi paene necesse erat Amphipolim — praeterquam quod ipse initio Thracorum fuit? Quid tandem opus erat erroribus? Audesne eandem

vel „Hancque loco". Quam apertam corruptelam sanare conati sunt viri docti talibus coniecturis: Hicque locum, Iamque locum, Neque loco, Hancque locum, Remque loco, Resque loco, Sisque loco, aliis, frustra videlicet. Oppositio enim quae exstat acutissima in hexametro: „Ilion in Tyriam transfer felicius urbem" et in pentametro quodam modo a poeta effecta fuerit propter vocem „tene". Quam restituere possis minima mutatione hac: „Inde" (codd. „Inq.")

At aliunde malis medelam petere, si reputaveris non modo litteras illas „Inq." in rasura legi, sed etiam versum alio quoque loco videri corruptela laborare: „regia sceptra" GE „sceptra sacrata" o. Inde quid colligis? Latere suspicor novum graviusque vitium in voce „regis". Est autem „loco" quod dicimus „anstatt". Idem dicunt Latini „in locum". Quid? si interiit ineunti versui casus genetivus, personae scilicet, cuius loco Aeneas regnum, quod Troiae quidem amisit, nunc obtineret? Offertur Carthaginis regnum, oblatura est Carthaginis regina. Quid, si „Didonis" genetivum periisse putamus? Habes „Didonisque locu." Hac tandem una ratione nonne tolluntur omnes, quibus scatet versus, molestiae? nonne secernuntur sponte glossemata („regis", inque locum, -loco) a genuinis Ovidii verbis? Scripsit, ni valde fallor, poeta:

„Didonisque locum sceptraque sacra tene!" —

Raperis ad distichon 177/178:

„Pro meritis et si qua tibi debebimus ultra,
Pro spe coniugii tempora parva peto,"

in quo iterum, nequiquam hucusque, haeserunt interpretes. Voluit e. g. Zielinski legi „devovimus" (debibimus G, m 1 debobimus, m 2 debebimus).[1]) Cui repugnavit Ehwaldius suo iure, contortiorem

---

socordiam Callimacho tribuere, qui certe melius geographicas res observaverit quam Latinus? Nonne potius agnoscis Nasonem pro rhetorica inventione aliorum hospitum perfidorum, imprimis Aeneae, condicionem transferre ad Demophontem? Non id ipsum scholasticarum exercitationum fuit ad argumentorum παράφρασιν spectantium? —

Postremo de Tusco, Ovidii sodali, „qui sua Phyllide nomen habet" (e Ponto IV. XVI, 20), alibi spero Birtium, Mayerum, Kiesslingium, Knaackium refutari posse.

[1]) Philologus LX (1901) p. 5.

tamen interpretationem hanc adiungens[1]): „Nicht um Verdienste, die sich Aeneas um sie erwerben soll, nicht um ein Benehmen, das sie auch ohne besondere Taten [ultro P] ihm verpflichte, nicht um die versprochene Ehe bittet Dido, sondern um kurzen Verzug." Atqui facillume ita expediuntur versus ambigui: Dido cum loquitur „si qua tibi debebimus ultra" (sic!), molliter, occulta ironia,[2]) non aliud respicit nisi merita sua ultra officia illa (cf. 5. 6. 91/2) etiam ex eo constare, quod ita commisit deliquitque pro amato, ut postea aliquando ei aliquid ipsa „debeat". Subaudiamus igitur opus est, quod tenere hic reticuit poeta, in versibus 133 sq. temere retexit.[3]) Atque eodem spectat e. g. Medea, cum Iasonem ita obsecrat (her. XII, 19): „per meritum et natos, pignora nostra, duos". — At cur non consulimus verum huius loci auctorem? Dixerat Vergilius vv 316 sq.:

„per connubia nostra, per inceptos hymenaeos,
si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
dulce meum" [4])

Ergo hac certe a parte sequeretur Ovidius ita: „per (∼ pro) merita mea, per nostrum infantem, nondum natum, („si qua tibi

---

[1]) Burs. ann. 1901/2, p. 243.

[2]) Ironia inest verborum argutiis: „meritis — debebimus". Pariter ludit Ovidius e. g. ep. X, 141/2, ubi meritorum usus iam topicam accepit vim:

„Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro
Debita sit facto gratia nulla meo."

[3]) Cf. Zeitschr. f. d. Altert. 1837, p. 955, nec non Palmeri ann. (ed. 1898).

[4]) De Vergili versu 323, quomodo accipiendus sit, commentatorum iam antiquorum fluctuarunt sententiae. Quos Servius in interpretando sese contorquentes (alii „restat" intellegunt „resistit" id est „contrarium tibi est") veritate quidem ipse multo superavit [restat = superest], quibus tamen patronum exstitisse Ovidium (v 167: „Si pudet uxoris, non nupta, sed hospita dicar") commemorare omisit. Cuius epistulae, quamvis ad Vergilium hic illic interpretandum idoneae, nullam invenimus mentionem, neque in Servio neque in Donato — quasi heroidum corpus tum illic ignotum fuerit. Eodem vereor ne pertineat, quod Serv. (ecl. V, 10) mirifice Ovidium Phyllidos fabulam in transformationibus tractantem facit.

debebimus ultra", + Verg. „si" e. q. s.) per spem coniugii (inceptos hymenaeos) moram quidem parvam haud immodeste peto." At nondum hic subsistere debemus. Ut enim Ovidius per totam ultimam precandi partem quam fidelissime, paene verbotenus, secutus est Aeneidos ultimum quoque retinendi conatum 417—440, ita versus 431 sq. una cum antea allatis obversabantur imitatori:

„Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro,
Nec pulchro ut Latio careat regnumque relinquat:
Tempus inane peto requiem spatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere."

Quid igitur factum est? Contaminavit Naso exemplaris utrumque (316 sq. 431 sq.) locum et callide contaminandi pericula vitavit poetarum ingeniosissimus, cum ambigue scripsit „pro" — quo primum, in hexametro, Maronis illud „per" quodam modo respicitur („pro" i. e. zum Lohne für, vermöge), deinde, in pentametro, altera quoque sententia non neglegitur: „non coniugium antiquum oro" („pro" i. e. „anstatt", sed cum addatur „spe" uno tempore subsonat significationem hexametri) [1]): „pro meritis meis proque concubitu minime connubium spero — quamquam hac remuneratione ea sit dignissima, quae iam gravida est ex amato —, sed parva tantum morandi spatia rogo." —

[1]) Qualem confusionem melius vitavit Ovidius in totius huius regionis imitatione rem. am. 273 sqq.: „Non ego, quod primo — memini — (!) sperare solebam, iam precor, ut coniunx tu meus esse velis" (cf. Aen. IV, 71/2) 277/8: „Ne properes oro, spatium pro munere posco. Quid minus optari per mea vota potest?" — Ubi Nasonis ingenium ironicum apparere arbitror et quod ad stilum attinet et quod omnino ad inventionem. Agitur autem illic ita de Circes nymphae amore parum felici Ulissis, ut frustra viri grammatici circumspexerint, quo tandem e fonte Latinus talia, ab Homero certe aliena, hauserit. Atqui ironiae poeticae omnibus temporibus id potissimum est argumentis ipsis pro nihilo putatis sive qualemcumque rem aliis qua licet condicionibus personisque supponere sive omnino novas invenire fabulas, dummodo tali procreandi ubertate apte ostentetur ingenium poeticum. Quae multum valet observatio in multas fontium Ovid. disquisitiones, imprimis scilicet de transformationibus instituendas. —

De imitatione cf. etiam Ribbeck., Röm. Dichtung., II, 168; nihil de hoc Lueneburg l. l.; dubitanter disserit Tolkiehn: „Homer u. d. röm. Poesie", p. 200. — De simili inventione a. a. II, 123 sq., cf. cap. III.

His de singulis disputatis iuvat perpaucis dicere generatim.

Ac primum diversorum sunt morum utriusque poetae Didones. Est enim Maronis Dido vera perfectissimaque heroina, qualis optime decebat carmen epicum — de quo diserte iam disseruit Ric. Heinze Vergils ep. Techn., p. 134 sqq. Imitatione autem Ovidiana factum est, ut heroinae nil restiterit nisi nomen, ipsa autem heroica persona mutata sit in cotidianae vitae mulierem. Omnes enim grandiores motus: dignitatis, magnanimitatis, superbiae, iracundiae, alii in humilitatem abierunt; accusationes et deorum et amati, furibunda ulciscendi consilia, consecrationes dissolutae sunt in preces miserationes querelas. Deest imitatoris Didoni id, quod Schopenhauer de veris tragicis personis postulavit quodque egregie vocavit „die Fallhöhe". Hoc autem postulatum ingeniose observavit Vergilius. Ac recte ait Y. W. Sellar: „Ovids Dido falls below the Dido of Vergil in queenliness and dignity." [1]) —

Attamen tantum abest, ut has factas mutationes omnino vituperare debeamus et reicere, ut Nasonis novum eloquendi genus excusemus novamque novi generis rationem agnoscamus ut legitimam. Hoc autem heroidum novum genus quale sit cave praepropere definias.[2]) Ubique enim monuimus huius potissimum libri variationem quandam fuisse, priusquam foras editus est. Quare cum melius sit et tutius antea inquirere in singula quae-

---

[1]) „The Roman poets of the Augustan age." Tom. II. Oxonii 1892.

[2]) Bene se habet, quod viri docti Bentleio duce („Briefe d. Phalaris" praef. p. 81/2) heroides προσωποποιίαις, rhetoricis exercitationibus, quam maxime affines esse iudicant — nisi quod ipsi molestiam quoque, qua laedebantur in epistolari forma, excusaturi sumus (v. s. cf. etiam capp. II, III): vera enim primordia totius libri revera exque consilio ipsius auctoris aliena erant ab epistolari forma atque facit Naso priores heroidum nonnisi nudas complorandi elegias conscribentes, miseriam suam letique argumenta enarrantes, velut Didonem, Ariadnam, Phyllida (de Penelopa cf. cap. III). Hoc autem ita esse inde insuper apparet, quod quamquam epistularum species una cum suasoriis magis magisque affectabatur a poeta (cf. cap. II), eaque interdum per retractationem, nihilominus exstant antiquorum testimonia, quibus talis novatio prae priore querendi fundamento nulla curata est. Iure enim meritoque heroidum Ovidianarum notitiam odorantur vvdd (cf. Birt, mus. Rhen. XXXII, 396; de Vries, Sapphus ep. ed. p. 122/3, Barbu de Sapphus ep. Diss. Berol. 1888, p. 14 sq.) apud Persium (I, 34) nec non Ausonium (XCII).

que carmina, quibus propriis condicionibus nata sint et conscripta, quid dices de Didone? De qua nempe facillumum est iudicatu unici auctoris carmine feliciter servato.

Ac primum certis argumentis nisos formam epistolarem carmini nos denegasse fac memineris. Unde gravissimo praeiudicati iudicii impedimento sublato facilius iam procedimus ad Ovidi consilium rationemque recte perspicienda: Variae patebant viae Aeneidos praeclarum librum imitanti. Potuit e. g. poeta elegiacus ad exitum sese applicare et Didonem, priusquam mortem obiret miserrimam, ultimis querendi verbis, more simul rhetorum, declamantem fingere, idque ita, ut tristissimam fortunam suam secum ipsa repetendo comploraret. Potuit is, qui Seneca magistro teste lubentissime suasorias conscribebat recitabatque in ludo rhetorico, unam quandam priorem totius fabulae condicionem imitando supponere et heroidem qualibuscumque argumentis suadentem facere Aeneae, ut remaneat vel saltem iter differat. Potuit Naso accusationes heroinae suas facere pluribusque rhetorice et exponere et amplificare, fundamento fortasse huius sententiae apud antiquos usitatissimae substrato: „nec te diva parens" e. q. s. Potuit ultimum precandi obsecrandique nuntium per Annam sororem ad Aenean referendum accuratius effingere. Et alios status sibi proponere potuit Ovidius ad imitandum.

At unum alterumve eligere debuit, si quis epica ratione contempta epici carminis argumentum imitatione exprimere voluit.

Quid vero accidit Ovidio? Apparet eum similem eligendi viam initurum fuisse. Placuit enim ei initio pro indole ingenii elegiaca suadendi, accusandi, obtestandi consiliis omnino neglectis miseram morientis heroidos condicionem propria declamatione depingere. Huc enim pertinent praeter initii excusationem (v. s.) propositionis disticha sequentia, interrogandi notulis scilicet initio omissis (9/10 sq.). Pertinet huc praeterea — ut mortis voluntariae exitum omittam — principalis illa pars, qua apertius secum ipsa lamentatur Dido, meritis famaque perditis (85—137).

Hoc autem desperationis propositum, etsi passim declamando subicitur, nihilominus vel in initio quodammodo diluitur verborum argutiarum causa (perdere verba e. q. s.), ac nimis pelliciente suasoriae consilio: hinc interrogandi distichon 7/8, postea (v. s.) ab auctore insertum: „Certus es ire tamen —?" hinc

distichorum subsequentium mutatio quam voluimus in interrogationis formam.

Quin etiam in versus magis nequiit a se impetrare suasoriarum amator, quin veram Didonis suasoriam institueret etsi primario ultimae complorationis proposito quam pessume convenientem. Huc autem iterum paravit viam, cum accusationem illam 37 sqq., quam haud ita apte in suasoriae usum blandiorem vocari posse putaveris, eam in partem vertit, unde elegantissime transiluerit oratio subito ad suadendi argumentationem.

Quali artificio eo magis praeter ullam exspectationem usus est Ovidius, quo certius ex compositionis structura coniciendum fuit fore, ut tota declamatio hoc uno — nempe idoneo et lubentissime apud antiquos arrepto, cf. Anth. Lat. (R.) I, 244. 255; Ennodii episcopi dict. XXVIII (Hart.) [1] — increpandi fundamento subiecto nova ab integro susciperetur.

---

[1]) Sufficit constantiam Ennodianam, quamvis tumidam, comparare: [Verba Didonis cum abeuntem videret Aenean] „Nec tibi diva parens generis (nec Dardanus auctor)."

„Quantum docet inclementia, perdidisti testimonium generis, quod opinione mentiris. constat Veneris non esse filium nil amantem: ordo rerum est, ut prosapiem mores adnuntient et quo quis auctore in lucem venerit, eius facta sectetur. Diva Idaliae nescientem respondere beneficiis non agnoscit; non fama filios, sed conversationis monstrat aequalitas: si diversa sit conscientia, vix credenda est esse suboles quae vocatur. te potius Caucasei rigoris praerupta genuerunt aut conceptum in recessibus montium saxea alvus effudit et, ne diva nutrimentis natura mollesceret, eripientes salutem ceteris Hyrcanae tigrides alimenta praebuerunt: nutrivit te illa feritas quae trucidat, nam quid mihi dissimulatione pollicitor? aut quid sperando meliora suspendor? non reddidit fletibus lacrimas, quas eius amore torta fundebam: non gemitus meos propriis mens cruenta est consolata suspiriis. in doloribus meis, quod unicum est remedium, non exhibuit pari dolore collegam, quia pene solus est in anxietate terminus invenisse participem. Sed quae eloquar nescio < nescio > quae relinquam. haec nec dexter Iunonis oculus nec summi tonantis patietur aspectus, ut pro tot impensis sequestratione consumar nec aliud pietate promoverim, nisi ut merear non amari. Heu fides ab universis proturbata mortalibus et quod hactenus numinibus homines iungebat expulsum.

Suscepi miseranda naufragum et eius dicioni reginam subdidi manente felicitatis sorte captivam: feci, ut ageret dominum profugus imperantis. Nunc furore succensa discrucior et quare possessor me

Coercentur autem postea obiurgationes istae et, sicubi propter nimiam exemplaris auctoritatem denuo apparent, minime contigit imitatori, ut revera ita sentire mulierem nobis persuaderet, praeterquam quod continuo paenitet heroidem ipsam maledictorum. Nec maior fides haberi potest causis suasoriae rhetorice inventis sive propter universum carminis tenorem desperatum sive propter nimias splendidioresque elocutionis argutias. Item quod postremo Ovidius, quasi ne quid deesset exemplaris, etiam preces conscripsit fusiores, nimirum his quoque parum sinceritatis inest, praesertim quae haud ita commode audiantur perpaulo ante grandiloquum mortis voluntariae consilium. Apparet igitur motuum mutationes quas accusarunt viri docti paene necessario natas esse atque excusandum esse non tam usum labendi elegiacum — cuius recte de Tibulli somniis monuit F. Leo (Philolog. Untersuchgn. II), — quam gravissimas contaminandi difficultates, ita ut hic quidem Skutschii postulato (Aus Vergils Frühzeit II, 169/170) possimus assentiri. [1])

---

deserat ingemisco. Ergo Apollinis auguriis vocatus abscedis et sortis Lyciae casum certis et apud te iam manentis praeponis imperiis? Scilicet caelestibus crudelitas ista procuratur auctoribus et interpres superorum ad hos hominem compellit excessus, ut diligentis litora quasi solum hostile diffugiat, ut per tempestates salutem prodat qui solum fugit adfectum.

Vade, ulterius non morabor. habet vindictam mei via qua deseror, habebit pelagus in furore iudicium, raucos tumentium procellarum aestus exaudiam: vocabis inter pericula Didonis nomen, quae et fuit portus et praebuit: aut certe, quod timeo, ne dum vindicor me vivente moriaris, eventum expetitae navigationis post usuram lucis agnoscam, vide sceleribus indebitam mercedem: perire innocens ante cupio quam merentem.

Durus et indomitus Veneris se semine cretum
Iactat et abiurans collaudat stemmata divae
Edidit ergo Venus fugientem nomen amoris
Pectoris et rabidi fudit clementia virus."

[1]) Quod Skutschius postulavit de Tibulli elegiis interpretandis, vide ne melius quadret in aliorum poetarum elegias: motuum variationes lacunasque sermonis illic persaepe hiantes intellegendas esse ex variis exemplaribus — vel variis unius exemplaris locis — conflatis.

Caput II.

De Phaedrae epistula (IV.) si quis quaesiturus est nequit non inquirere in Euripideas Hippolytorum fabulas. Attamen quae ratio intercesserit inter Velatum Coroniferumque iam pridem viri docti Wilamowitz,[1] Leo,[2] Kalkmann,[3] Maximil. Mayer,[4] alii Seneca Ovidioque adiutoribus recte diudicarunt, ita ut nihil fere hic quidem relictum sit acta agere nolenti, nisi ut hoc illud sarciat expoliatque in ea potissimum quaestione, quae pertinet ad veras palinodiae canendae causas, praesertim qua parum nisi sint ad veram Ovidianam quoque imitandi rationem rectius intellegendam.

Ac proficiscentibus ab Euripidis mythopoiia statim apparebit poetam, quem Aristotele arbitro maxime tragicum appellant, in Hippolyto magnas in angustias incidisse tragicae rationis. Est enim sane argumentum vere tragicum Dianae iuvenem, utpote qui Venerem, caelo terra mari omnipotentem deam, fugit repudiavitque, huius impietatis capitis poenam dare ipsi Veneri. Hoc autem ita videlicet effingendum fuit, ut mulieris alicuius, quam potest optimae nobilissimaeque, amorem Venere iubente oblatum castissimus ille[5]) contemneret — quod scelus omni hominum consuetudini repugnans Venus vehementer debuit ulcisci. Hanc igitur habes optimam Hippolyti tragoediam. At valde minuitur tolliturve tragica vis, si Hippolytum tantummodo aspernantem accipimus impiam incesti amoris condicionem — quapropter apud Troezenios vix dignus putabatur venator ille, cui divinis honoribus ornato, priusquam nuberent, sacrificarent puellae. Veri simile igitur est vel propter mythopoiiam Euripidi Phaedram minime ut Thesei coniugem Hippolytique novercam inducendam fuisse, immo Phaedram melius meram Veneris personam fuisse eamque nullo alio consilio in fabulae antiquioris carminisque puellarum nuptialis scaenam productam, nisi ut iuvenem nimis pudicum ne Venere

---

[1]) Analecta Euripidea p. 154 et 209 sq., Hermae vol. XV, 482 sq., Hippolyti ed. praef.

[2]) Senecae fabb. ed. tom. I, 173 sq.

[3]) De Hippolytis Euripideis quaestiones novae, Bonnae 1882.

[4]) De Euripidis mythopoiia. Diss. Berol. 1883, p. 63 sq.

[5]) Castitatem altera ex parte non nimis ad religionis cultum referendam fuisse consentaneum est. Cf. Reitzenstein: „Epigramm und Skolion", p. 209/10 (de Hippolyto *βουκόλῳ*).

quidem postulante ad amorem accessisse propterea que laesa a dea misere periisse apte illustraretur.

Eodem pertinet hoc: ut enim Cretensis domus feminae Pasiphae filiaque Ariadne Veneris et nomine et honoribus colebantur, ita Phaedra quoque, filiarum altera, eadem fuerit atque Venus.[1] Et aliud quoddam certius fit mythopoiiae rationes respicienti: In rudi illa fabula nihil erat, cur interiret Phaedra,[2] nisi Dianae deae propter dilecti comitis interitum graviter succensae consilium ulciscendi. Ut autem Phaedra ita puniretur a Diana demum Hippolyto misere interfecto fieri potuisse, etsi res ipsa fert, nihilominus apud Euripidem ea, quam solam merito apteque ferire licuit Dianae, mortem sibi consciscit multo priusquam Hippolytus patris exsecrationibus immani interitu succubuit.

Sed aliter rectiusque rem se habuisse in Velato[3]) non modo Annaeana fabula, sed etiam Apollodori epitoma (III.) probatur: *πτοηθέντων δὲ τῶν ἵππων κατηῤῥάχθη τὸ ἅρμα, ἐμπλακεὶς δὲ Ἱππόλυτος συρόμενος ἀπέθανε. γενομένου δὲ τοῦ ἔρωτος περιφανοῦς ἑαυτὴν ἀνήρτησε Φαίδρα.* Quod testimonium eo meliore fide dignum est, quod pendet ab Asclepiadis tragodumenis[4] (cf. schol λ 321).[5]

---

[1]) Cf. Sam Wide, De Troezeniorum, Hermionensium, Epidauriorum sacris, Diss. Upsal. 1888, p. 86; de Venere *Πασιφαέσσᾳ*, cf. eiusdem „Lakonische Kulte", p. 246—250; de Ariadna dea Robert „archäol. Märchen" 11, ann. 1; de Pasiphae Ariadnaque Veneribus Preller-Robert „gr. Myth.", p. 373. Cf. etiam Max. Mayer, Arch. Ztg. 1884 (XLI) 279, ann. 13. — Ariadnam initio eandem fuisse atque Proserpinam parum recte sibi persuasit Pallat: De fabula Ariadnea Diss. Berol. 1891, p. 3 sq.

[2]) Memorabile est in scholiis Euripideis (certe non in Velato, quod ex Ovidi v. 54 sq., Senecae v. 124 sq., suspicatus est Leo p. 177) Phaedrae mortem ad Solis proditionem referri, quod tamen a vero huius tragoediae primordio quam longissime abesse et scholiastas fugit et nuperrime scholiastarum commentatorem Elspergium Philologus, Supplem. 1908, p. 131. Quemadmodum enim Venerem in suum ipsius genus (v. s.) saevire putes?

[3]) Cf. Leo l. l. p. 179; Kalkmann, De Hipp. Eur. p. 37 sq.; Arch. Ztg. 1883, p. 54.

[4]) Ric. Wagner: Curae mythographae, p. 145 sq.

[5]) Quod parum recte olim Welcker, gr. Tr. I, 394 sq. Hillerusque lib. miscell. Bonn. 1877, p. 35 sq. ad Sophocleam fabulam pertinere voluerunt.

Postremo autem convenit superstitis fabulae locus, qui hucusque quidem obscurrissimus — desperavit de interpretando etiam Wilamowitz,[1]) — nunc tamen nova repentinaque luce illustretur. Quod enim ait Diana vv 1420 sqq.

„ἐγὼ γὰρ αὐτῆς ἄλλον ἐξ ἐμῆς χερὸς
ὃς ἂν μάλιστα φίλτατος κυρῇ βροτῶν
τόξοις ἀφύκτοις τοῖσδε τιμωρήσομαι“ —

nunc iam verisimile fit minime ad Adonidem referendum esse — quam interpretationem iam scholiasta ad l. refutavit — sed ad Phaedram Veneris ut adiutricem, ita personam gratissimam,[2]) praesertim cum necessitudinem artiorem aliquam desideremus intercedentem inter venatoris mortui auctorem Dianaeque iram. Dianam autem ipsam in Velato — Phaedra viva scilicet — criminis explanationi praefuisse recte iam coniecit Ric. Wagner (Curae mythographae p. 144).

Tenemus igitur novum Velati frustulum, quod mirifica, non rara[3]) tamen, socordia Euripides in palinodiam receperit quamvis condicionibus mutatis fere omnibus male idoneam — vel particulam etsi minutissimam veteris Trozeniarum dearum Veneris Dianaeque certaminis, quod fundamentum fuit[4]) et exordium totius qua gaudemus tragoediae, idque ea nimirum conformatione, ut certent deae, utra potentior sit. —

Haec autem hactenus de vero qualis fuerit Euripideae fabulae nucleo. Iam vero quid iudicas de palinodiae ratione?

Vulgo Aristophane Byzantio teste: „ἔστι δὲ οὗτος

---

[1]) Eur. Hippol. ed., p. 241.

[2]) Vereor ne Ariadnae occisio mirifice per Dianam facta, quam saepenumero viri docti inde ab Eustathio (λ 321) excusare frustra conabantur (velut Gerhard, mus. Rhen. XVIII, 441; Pallat l. l. p. 17/18), huc aliquo modo referenda sit. Eodem certe spectat eiusdem interpretationis variatio, qua Acamas Demophonque, Phaedrae et Thesei liberi, Ariadnae tribuuntur. Qua in re id quoque memorabile est (quod etiam Sam Wide l. l. p. 82 bene monuit) Ariadnae notitiam in Thesei cultibus Trozeniis non inveniri.

[3]) Non defuerunt post Valckenaerium, qui Euripidem longas Velati partes integras in palinodiam recepisse coniecerint. Certiora exempla collegit M. Mayer l. l.

[4]) Cf. Mayer l. l. p. 73; Sam Wide, De Troz. e. q. s., p. 86.

Ἱππόλυτος δεύτερος. ὁ καὶ στεφανίας προσαγορευόμενος· ἐμφαίνεται δὲ ὕστερος γεγραμμένος· τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διόρθωται τῷ δράματι" — credunt Euripidem, ut Velatum retractaret, eo commotum esse, quod aegre tulerint spectatores scelestos quos depinxerat Phaedrae mores.[1]) — Concedo non modo spectatorum volgo, sed etiam grammaticorum cohorti — quod docet Aristophanis exemplum — vehementer necessarioque talequid displicuisse. At nequeo mihi persuadere Euripidem aut impudicitiae colores sine certa ratione adhibuisse[2]) poetica aut tragoediam iterandam emendandamque sibi proposuisse, nisi aliud quoddam graviusque scrupuli insedisset priori formae.

Quid? memento, qualem tradiderint Trozenii fabulam Hippolyteam, memento quoque, numquam ante Euripidem exstitisse,[3]) qui Phaedram coniugem, Hippolytum filium Thesei rettulerit. Hac ipsa autem rerum novatione, quam non iam dubites ad Euripidis auctoritatem referre, accidit, ut argumentum omnino a priore genuinoque sensu removeretur atque novum alienumque, incesti scil. amoris, opprobrium fabulae inferretur sive ex nimio et immaturo nodi tragici implicandi studio auctoris sive propter nimiam auctoritatem fabellae omnibus terrae gentibus communis usitatissimaeque, novercae scil. amore privigni frustra prostituto innocentem ipsius apud patrem calumniantis.[4]) Haec autem fabella ut adiungeretur valde suadebatur arta illa necessitudine, quae constitit Ariadnen inter et Phaedram Minois filias utramque Veneris vicem obtinentem. Quacum una inculcata mirificum accessit tragici ponderis detrimentum argumento — id quod nequaquam, quamvis frustra, ignoravisse puto poetam maxime tragicum.

---

[1]) Quos ad corrigendos Venerem demum in palinodiae scaenam inductam esse parum recte sibi persuasit Mayer l. l. v. s.

[2]) Nempe non cogitabis de mirifico coniuges perstringendi consilio, quod tribuitur auctori in vitae descriptione, Westermann, Biogr. 137. 89.

[3]) Velut Pindarus (cf. Plut. Thes. 28) Thesei Antiopaeque filium Demophontem attulit, non Hippolytum, cf. Sam Wide l. l.

[4]) De qua carmini Troezenio accedente egregie egit Wilamowitz (Hipp. praef.), nisi quod difficultates continuo tragicae rationi apparentes nimis neglexit.

Huius enim vitii vim ut debiliret, vereor ne invenerit Euripides obiurgationes, quibus accusatum esse Theseum a Phaedra coniuge in fabula deperdita non modo imitatores Ovidius Senecaque (91 sqq.) docent, sed etiam Plutarchi locus ille notissimus,[1] „πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν." Bernadakis I, p. 67 [cap. 27/8]), ubi non modo de παρανομίαις Theseo illic opprobrio versis agitur, sed etiam Phaedram accipimus „ὡς διὰ τὰς ἐκείνου παρανομίας ἐρασθεῖσαν τοῦ Ἱππ." — Quas unius libidinis causa obscoene depingendae prolatas esse parum recte hucusque viri docti persuasum habebant plerique, cum tantummodo eis uteretur poeta ut tragicae rationis artificio, paene necessario.

Sed cave credas omnino me defendere artificem. Artificium enim illud minime Minerva favente Euripidem adhibuisse quis est, quin intellegat? Nempe quo magis Phaedrae mulieri protervos lascivosque increpandi mores attribuit poeta, eo minus uno tempore necesse erat videri et meritum et culpam Hippolyti, utpote qui nonnisi impudicissimam mulierem contempsit — quod sane facillimum erat et sine ulla eximiae pudicitiae gloria ab humili quoque fiebat. In summas igitur mythopoeiae angustias etiamtum incurrit Euripides.

Quid? videsne has ut effugeret poeta, Velati palinodiam conscriptam esse, vel potius spectatorum offensiones minime revera cecidisse in solam Phaedrae lasciviam, sed in eandem lasciviam interiori ipsi tragicae rationi obtrectantem?

Hac ergo ratiocinatione habita retractavit Euripides priorem fabulam. Sed qua ratione usus est in emendando? Lenivit certe correxitque Phaedrae mores. Et propius accessit ad germanam verioremque Trozeniorum historiam. At nonne novae obsistebant et graviores difficultates correctori?[2])

Protagonistae enim partes in Velato haud ita apte divisae erant inter Phaedram Hippolytumque. Nunc iam enititur poeta in retractatione, ut Phaedrae agendi quidem partes qua licet removeat. Sed tamen quamquam Phaedram tantummodo miserum Veneris instrumentum esse nunc quocumque modo inde a prologo demonstrare studet, minime contingit Euripidi, ut affinitatis

---

[1]) Cf. v. Wilamowitz, Analecta Eur. p. 209; Mayer p. 67.

[2]) Quas praeteriit etiam Mayer p. 73.

horrorem vitaret etsi soluto trilogiae[1]) connexu Theseoque iam nullam cre veram actionis vicem obtinente. Ac primum nil respicere videtur nisi tristissimam mulieris miseriam mortemque, deinde Phaedra mortua novam tamquam tragoediam, Hippolyti, conscribit. Et quamquam venatoris interitum nequiit ad Phaedrae calumniam non referre — quocirca δελτίου artificium invenit — accidit, ut etiamtum duas revera tragoedias contaminaret,[2]) non coniungeret: priorem Phaedrae novercae frustra privignum depereuntis, alteram Hippolyti, iuvenis Dianae familiarissimi, inimici Veneris. Quam discrepantiam[3]) minime latuisse arbitror cum Sophocli aemulo tum Senecae imitatori, ita ut duplici fabulae unum argumentum reddere studerent, cum uni Phaedrae personae primas partes apertius tribuerunt. Neque fortuito Phaedrae titulum praeposuerunt Hippolyteo, sicut etiam

---

[1]) Constantis scil. ex Aegei, Thesei, Hippolyti Velati fabulis, cf. v. Wilamowitz, Hermes XV, 482/3.

[2]) Nonnulla recte iam viderat O. F. Gruppe „Ariadne“ (D. trag. Kunst der Griechen) 1834, p. 388, qui tamen media in via substitit.

[3]) Eodem pertinebit, quod de Coroniferi titulo et Eustathius et auctor codicis Florentini dubitantes (cf. Hiller p. 46/7) praescribere Φαίδραν maluerunt; eodem spectant tituli variationes librorum Annaeanorum.

Ceterum coniectura est aliis quidem [velut Welckeri, Gr. Trag. I, 394 sq.] certe nunc certior Sophoclem fabulam suam ita componere maluisse: Phaedra cum Theseum diu absentem apud inferos versari et omnem ordinem in urbe tolli tyranno deficiente sibi persuaserit, sceptrum offert Hippolyto iuveni, qui pro severitate sua animi regnando quam aptissimus fuit (fr. 622 Nauck), nefastum autem amorem, quo privigni ardescit, utique amatum celare studet, frustra tamen nutricem feminasque chori celatura est. Quas nunc secreti participes orat atque obsecrat herois, ut tacito silentio rem miserrimam retineant, ipsa confitens turpem animi motum ut a Iove ipso missum mutari non iam posse (619 N.) [ubi parum recte acceperunt viri docti φέρειν: indulgere morbo]. Sed cum arcanum illud tristissimum mala mobilitate Famae (626 N.) non modo per urbem, sed etiam ad superbum ipsum delatum sit cumque insuper Theseus coniunx subito praeter ullam exspectationem (624 N.) redierit, vitam inhonestam diutius degere nequit et mortem sibi consulit mulier infelicissima. Frustra a nutrice liberorum monita (623 N.), frustra quoque monita revera neminem usquam in terra felicem esse (620 N.) [an verba ad exodium pertinent?]: „mortem obibo“, ait Phaedra, „ut scelerosum amorem quam celerrime luam (627 N.). Quid enim iuvat

Racinii Phaedra exstat tragoedia, non Hippolytus — quod minime satis erit referre ad solam Annaeanam imitationem, contra ponendum erit in vera poetici ingenii ratiocinatione, qua certe non caruerit Francogallus, quamvis declamatorius. Eodem autem

diutius suam ipsius cordis opinionem fallere verborum argutiis? Sic numquam omnis conscientiae expers Theseum coniugem decipiam." (628 N.) Ac mortem sibi consciscit Phaedra, Theseus autem tristissimis neniis deflet laudibusque effert (621 N.) eam, quae fidem fallere coniugalem nolens salutem aliam non viderat nisi in tacita morte voluntaria. Quali fidelitate insuper et filius amatissimus bene servabatur! — Eius modi autem tragoediae tenorem Sophocles componere certe nequiit, nisi Euripidea utraque fabula cognita: praeterquam enim quod Phaedram tragoediam pro fabula vere Hippolytea conscribi non licuit, priusquam non modo alicuius praeclari poetae opera Phaedrae protagonistae partes tributae sunt, sed etiam haec ipsa opera misere (v. s.) perdita est, apertior fit ubique Euripidis et aemulatio et irrisio. Unde stabilitur notissima Wilamowitzii coniectura (contrarium putavit e. g. E. Rohde griech. Roman² p. 32) de fabularum tempore (Hermes XVIII, 1883, 239; Hippol. ed. 57/8), de singulis autem e. g. refutatur Herwerdeni desperatio (mus. Rhen. LVIII, 1903, p. 141/2) de fragmento 621 N. Ac felicius celeberrimus in arte scaenica Euripidis aemulus non solum multo lenivit Phaedrae mores, quod iam pridem viri docti suspicati erant propter comicorum ludificationes hic in Euripidem, non in Sophoclem lascivientes, sed etiam unum argumentum duplici fabulae substruere conatus est, cum Hippolyti tragoediam — si quidem verum vidimus — quam aptissime ab altera (Phaedrae) semoverit — quod supra frustra postulavimus ab Euripide quodque propter nimiam Euripidis auctoritatem sinistra Fortuna egerunt Seneca, Racinius, alii.

Quibus id unum habeo, quod hodie adiungam, nunc iam et picturam vasis apuli (Brit. Mus. cat. IV, F. 272) veri simillime ad Sophoclem referendam esse quamvis Sophocleae Phaedrae nullam fere auctoritatem apud antiquos fuisse contendant vv dd: Wilamowitz praef. p. 58; Robert „Sarkophagreliefs" III, 2. 169, „Kentaurenkampf u. Tragödienszene" p. 20: depingitur scilicet scaena, qua Fama (*ἀελλάδες φωναί* 626 N.!) dominae amorem ad superbum quoque, vel potius ad superbi paedagogum defert. Qui cum muliere adstante (nutrice?) vehementer colloquens venatoris mores cum a Venere, tum ab incesti crimine quam longissime distare [616 N.?] exponit — fortasse postquam mulier (invita scil. insciaque Phaedra) privigni amorem callidis consultricis causis suasit. — Atque indidem puto tandem Laodamiae nuptiis eadem in pictura repraesentatis rationem reddi. Quas ut apud Euripidem nullo sono commemoratas frustra viri docti ad artificium inventionem rettulerunt (velut Kalkmann, Arch. Ztg. 1883, p. 64): apud Sophoclem Theseus

spectant apud Racinium Phaedrae, Oenones, Theramenis nec non Hippolyti in Theseum lascivientes obiurgationes, eodem denique pertinet Hippolyti ipsius in Ariciae amatorem transformatio, nempe a vero argumento quantumvis aliena — quae omnes mutationes (etsi frustra[1]) institutae) quid sibi velint nescio quo casu et Schlegelium[2]) fugit et Wilamowitzium (praef.).[3])

Quibus disputatis oritur quaestio, utri Hippolytorum fabulae Ovidius in epistula (IV.) componenda sese adstrinxerit: qua in re ita hucusque dissentiunt viri docti, ut alii Coroniferum fontem esse putent,[4]) alii unam Velatum,[5]) alii aureae mediocritatis viam ingredientes in superstite exprimenda fabulam nunc deperditam hic illic subsidio arcessitam esse coniecerint.[6]) Alii vero de

---

apud inferos versari putabatur quidem a coniuge, revera autem Pirithoi amici nuptiis intererat. Quod tamen certe non in ironiae tragicae usum, nedum obiurgationum, vertebatur a severissimo poeta. Fragmentum autem 625 N. 619 D. (ἔσαιν' ἐπ' οὐρὰν ὦτα κυλλαίνων κάτω) quod Leone duce Theseo de inferis narranti tribuunt, cur non iam intellegunt de Hippolyti cane venatico? narrationis e. g. de Hippolyto quomodo novercae depereuntis nuntium acceperit? — Quibus in picturis de Euripide auctore [quem solent agnoscere viri docti post Heydemannum, Arch. Ztg. 1872, p. 159: Kalkmann, Arch. Ztg. 1883, p. 62 sq.; Vogel, Szenen euripid. Tragödien auf griech. Vasenbildern 1886, p. 66 sq.; Huddilston, Greek tragedy in the light of vase paintings, London 1898, p. 123 sq.] gaudeo quod etiam alii dubitaverunt, velut A. Körte, Berl. phil. Wochenschr. 1898, p. 1460. — Postremo Coroniferum Herculanensi cuidam picturae subesse nondum mihi persuasit Robert, Kentaurenkampf u. Tragödienszene, 1898.

[1]) Nuperrime nimiis laudibus — revera Sophocli debitis (v. s.) — extulit Phaedram Racinianam Georg Brandes, Nord u. Süd 1908, tom. Apr., p. 6.

[2]) Comparaison entre la Phèdre de Racine et celle d'Euripide, in ed. Colliniana 1808, p. 78 sq. item erravit Gruppe l. l. p. 612.

[3]) Ipse indicavit Euripides minus feliciter artem hic sibi cessisse et argumentum dividi in duas non dico partes, sed proprias fabulas. Valde enim hiare fabulam mediam male celatur chori carminibus nimis consulto illic diutiusque in usum vocatis. Cf. etiam Wilamowitz, praef.

[4]) Velut Palmerus in comm.

[5]) v. Wilamowitz, Anal. Eurip. 154. 209; sed cf. Hipp. ed. praef. p. 461; Max. Mayer, p. 65 sq.

[6]) Leo, Sen. fabb. I, 179; Birt, mus. Rhen. XXXII, 403; Kalkmann, p. 24, Diss.; Ehwald, Burs. ann. a. 85. Utramque fabulam ab Ov. con-

Euripide auctore desperantes refugerunt ad Sophoclem,[1]) frustra videlicet, (v. s.), alii Sophoclem externarum quidem rerum in epistula auctorem esse sibi persuaserunt.[2])

Ac profecto, quod Phaedram modo pro Coroniferi ratione maiore pudicitia accipimus sese gerentem, quam qua uti potuit in Velato Aristophanibus, et poeta et grammatico, Seneca Plutarcho testibus, modo videmus ad extremas lascivias descendentem, quibus proterviores illa Velati mulier certe ostentare nequiit, huius rei rationem quae sit tempus est certioribus argumentis aperire, praesertim cum etiam de loco, quo scaena fuerit, haud facile evincatur, utram tandem fabularum condicionem placuerit poetae supponere imitationi.

Sed ne omnis ordo desit opusculo, quippe quo in animo nobis est varias totius epistulae quaestiones criticas absolvere, praestabit Euripideas causas ad suum quamque locum nunc differre.

Ac primum de ineunte disticho, quo more verarum epistularum solito de personis nos certiores facit Ovidius et heroidos scribentis et amati, recte iam Vahlenus (p. 15) monuit callide vocem salutis sensu ambiguo usurpari.[3]) Ubi id quoque haud insulse studuisse

---

taminatam esse, plurima autem deberi Velato coniecit Ilberg in Roscheri lex. mythol. p. 2223.

[1]) Welcker, Gr. Tr. p. 402.

[2]) Peters, observ. p. 26, ann. 1.

[3]) Cf. etiam Ric. Buerger (De Ov. carm. amat. inv. p. 36/37), qui ut demonstraret huius apud Graecos Romanosque usitatissimi usus Euripidem primum in poesi auctorem exstitisse recte attulit Alc. 509/11 Suppl. 1181. At vellem vir doctus id quoque commemorasset epistolarem vocem salutis in heroidibus primum occurrere in Phaedrae epistula atque alibi nusquam inveniri — verae enim epistulae vicissim datae XVI sqq. seiungendae sunt — nisi in Laodamiae; huius autem epistulam totius libri posteriorem quandam esse nec sine Properti Arethusa ab Ovidio conscriptam ipse Buergerus (p. 39 sq.) recte probavit —, quod tamen recte adhibere omisit, v. i. In Canaces vero initio a deterioribus codd. servato languida interpolatoris imitatio aperta est neque debuit Vahlenus (p. 15) hanc ieiuniam salutis ambiguitatem cum illa Phaedrae comparare. Verum graviusque malum aliunde accidisse huic initio ostendimus in cap. I (p. 170. 1). — Ceterum vocem salutis minime supplendam esse, ubicumque epistula ineunte heroides aiunt „hanc tibi mittit“ vel similiter, iam Birtius (Gött. gel. Anz. 1882, p. 849) merito monuit. Vide ne poeta hic

puto poetam, ut fatalem totius argumenti fortunam ironiamque ut ita dicam tragicam quam brevissime iam nunc significaret, cum contrarios mores, qui numquam feliciter coniungi poterunt, Amazonii pueri (Dianae) Cretensisque puellae (Veneris), vehementer iuxta posuit. Deinde magnas offensiones inesse versibus 4/5:

„Te quoque in hac aliquid, quod iuvet, esse potest.
His arcana notis terra pelagoque feruntur“

Guil. Peters ut versus circumscribat,[1]) ita pronuntiat (p. 36/7): „E gnomis admodum tritis esse videntur, qui argumenta, quibus Phaedra Hippolyto persuadere studet, ut epistulam legat, augent,“ e. q. s. At parum recte interpretatur ille. Versus enim quartus non modo non „languidis verbis repetit sententiam“ „quid epistula lecta nocebit“ (v. 3), sed etiam minime deesse potest. Ac primum, ut omittam, quod suo iure iam Ehwaldius attulit (Burs. ann. 1884, p. 176), sententiam optime quadrare in Euripidei Hippolyti mores: qui non ignorat qua arte Ovidius prae ceteris elegiarum auctoribus disticha sua ornaverit acueritque[2]) hoc „iuvet“ (4) vinculo ferreo coniungi cum illo „nocebit“ (3), versu igitur quarto nequaquam nos carere posse statim intellegat. Eidem illud „te quoque“ sine ulla causa Petersio suspicionem movisse apparebit, cum sescenties pronomina cum eius modi coniunctionibus coniuncta in ipsis versuum frontibus collocet poeta, coniunctiones autem apud Nasonem etiam aliter positas aliter interdum coniungi constet inter omnes.[3]) Sin autem nihilominus huic illi restet aliquid odii in vocabulis „te quoque“, bona excusandi ratio adest, dummodo Nasonem hic, ut nequiebat sibi temperare, iam ad sequentia spectasse concedas, — ita ut „te“ et „hostis“ (v. 6) graviter unum alteri oppositurus sit poeta quamvis immature quamvisque tali ex usu distichi ipsius concinnitate male obtrectetur.

---

data ironiae opera dubie locutus sit, ut suppleri posset et „epistulam“ et „dictionem“ cf. capp. I et III.

[1]) Praeivit in delendo Capoferreus.

[2]) Unum affero exemplum eiusdem epistulae 33/34: „at bene successit, digno quod adurimur igni peius adulterio turpis adulter obest“ (frustra igitur Heinsius: abest).

[3]) Cf. Loersii annot.

Persimiliter res se habet de vv 5/6, quos propter voces „notis-notas" ita cohaerere putamus, ut numquam audeamus diripere. Quare neque Burmannum sequi debemus conicientem „modis" neque Petersium laudare, qui in hac coniectura nitatur quasi in codicibus manuscriptis, immo cum aut utrumque distichon delendum sit aut neutrum, iustae autem secludendi causae desint, versus illos nos quidem utique tenemus, alius argumenti ultro accedente momento.

Peters enim cum ita pergit: „Quintus versus omni caret acumine atque exilem continet humilemque locum communem. An Phaedra expositura est Hippolyto, quam utile ac bonum sit scriptura?" — gravissimam rem caecis oculis praeterierit, quae ceteros quoque Ovidi interpretes hucusque fugit.[1]) Tria enim propria epistulae exordia in versibus 1—14 cumulantur, quorum primum — praeter distichon 1/2 — continetur versibus 3—6

„Perlege quodcumque est! quid epistula lecta nocebit?
Te quoque in hac aliquid, quod iuvet, esse potest.
His arcana notis terra pelagoque feruntur,
Inspicit acceptas hostis ab hoste notas."

alterum versibus 7—10:

„Ter tecum conata loqui, ter inutilis haesit
Lingua, ter in primo destitit ore sonus.
Qua licet et (sed v. i.) sequitur pudor est miscendus amori:
Dicere quae puduit, scribere iussit amor."

tertium versibus 11—14:

„Quidquid amor iussit, non est contemnere tutum:
Regnat et in dominos ius habet ille deos.
Ille mihi primo dubitanti scribere dixit:
„Scribe! Dabit victas ferreus ille manus!"

Id ipsum igitur impensa opera acturus est Ovidius tribus gradibus, quod Peters interpolatori impertivit in versibus 4/5 — videlicet ut argumenta augeat, quibus via epistolaris defendi possit. Quibus primum paene necessario suasoria minutissima legendi

[1]) Novo contra Petersium argumento infra nitemur: capitulorum finalium (iuvat — nocet!) hic agnoscendorum.

inserta est ad amatum, deinde duplicem Phaedrae deliberativam proposuit Ovidius, ut excusaret, quibus tandem causis commota amorem per litteras fessura sit noverca, non per colloquium. At licet longius procedere. Potuerunt enim omitti non modo singula quaeque trium horum exordiorum sine ullo carminis detrimento, sed etiam omnes tres excusationes, — si quidem usitatissimum erat apud Ovidium heroidas tales epistulas scribere — quod ita fuisse ad hunc quidem diem inter omnes constitit. At nihilominus cur tandem, quaeso, ita conscripsit poeta praeter omnem heroidum incipiendi consuetudinem?[1])

Studuimus in priore capite, ut communem virorum doctorum opinionem[2]) refutaremus heroidum librum librum fuisse epistularum, atque probavimus priora quaedam corporis carmina, non solum Didonis,[3]) ab Ovidio ut nudas — querendi — declamationes conscripta esse eaque quam longissime abesse ex ipso auctoris consilio ab epistularum et forma et indole. Hic autem minime acquiescentes demonstravimus haec illa initia, genuina scil., duplicata esse et dictionibus quibusdam aptioribus, non tamen

---

[1]) Cave Hypsipylen obicias, cuius in prooemio multa quidem verba fiunt de epistolari nuntio. Quae non modo postea praefixa esse probari licet, sed etiam, cum non excusationem viae epistolaris proferant, sed de usitatissima quasi consuetudine ludant, ultimo demum totius libri tempore inveniri potuisse. Declamationem autem nudam Hypsipyles attulit Ovidius iam Amor. II, 18, ubi parum recte cogitabant nonnulli de Medea. Haec autem alibi excutienda erunt. Id unum hic adiungo frustra viros doctos dubitasse de lectione versus 3: „ipso": scil. „scripto" (ex pentam.). Cf. v. 9: „Cur mihi fama prior quam nuntia littera venit?"

[2]) Eundem errorem in aliarum doctrinarum castra irrepsisse (cf. Gotth. Ernst: D. Heroide i. d. deutschen Literatur, 1901, p. 3) eo minus mirum est, quod revera ipsa epistularum forma heroidum ab omnium fere occidentis populorum poetis arrepta est. Germanorum affero Lohensteinium, Hofmanswaldavium, Menkeium. Cautius olim iudicaverat A. W. Schlegel (Vorlesungen): „Die Heroide ist eine in fremder Person gesprochene Elegie."

[3]) Imprimis Phyllidem Ariadnamque affero. Praepropere igitur aegre tulerunt viri docti viae epistolaris molestiam (Birt mus. Rhen. XXXII, p. 397; Ehwald, Exeg. Kommentar zur 14. Heroide 1900, p. 9; cf. etiam Dilthey, observationes I, 1884, ind. lect. Gott., p. 5). De Penelopa cf. cap. III.

omnibus, postea frontem epistolarem praefixam esse a poeta, nimirum postquam consilium ei captum est heroidum etiam epistulas scribendi. Hoc vero unde sumpsit Ovidius?[1])

Fieri potuit, ut heroidibus declamantibus quo magis non modo de amato secum complorabant, sed etiam revera ipsum amatum absentem appellabant, sua sponte quasi et paulatim forma epistolaris succederet. Deinde valde suadebatur talis conformatio auctori librum foras edenti vel propterea, quod declamationibus ludo rhetorico egressis inventio illa rhetorica heroidum secum ipsis de amato adque amatum absentem loquentium necessario mira videbatur lectoribus, utpote qui non instructi erant eius modi exercitationibus. Sed cum in prioribus quidem et posteriorum retractatis carminibus cautissima initiorum elocutione usus sit Ovidius (cf. cap. I), minime illic finguntur amati accipientes veras epistulas, sed tantummodo producuntur ut lectores auditoresve — declamationum. Quod certe non sine ironia quadam factum est vere Ovidiana! Nihilominus nos responsuros esse exspectabis, unde tandem pervenerit poeta ad rariores illas veras heroidum epistulas fingendas, velut Phaedrae, Laodamiae, Canaces? Responderi potest genuinae epistulae formam eum facillume arripuisse, cui plurimum valebat in carminibus amatoriis scriptum dulce tabellarum, ita ut paene subiret poetae cotidianas res sententiasque amatorias saepissime in elegiis coniungenti cum heroicis et epici argumenti et tragici genus hoc cum elegiacum tum rhetoricum heroicarum epistularum. Qua in re fieri quidem potuit, ut etiam Properti Arethusae ficta epistula insuper invitaretur ad eandem veram formam posterioribus quidem dictionibus tribuendam.[2]) Haec certe omnia poterant quidem aliquantum valere in Ovidio.

At cur non confidimus repentinae ipsius poetae inventioni? Nonne huius rei suspicionem movent illa Phaedrae exordia ulla consuetudine accuratius ad epistulae viam excusandam instituta? Nonne ita hic versatur Ovidius quasi in novo a se invento dicendi

---

[1]) Huc ut responderent magnam impenderunt viri docti operam. Videbis nos ne cum Buergero quidem omnino consentire.

[2]) Talis retractationis simulque imitationis Propertianae vestigia deprehenduntur in initiis Briseidos Canacesque declamationum. Cf. cap. I, de Laodamia cf. p. 187. 1.

genere? Quid, si — quod postea probabimus — ipse Ovidius certissimis indiciis indicavit sese Velati lascivias, qua quidem liceret, deminuturum esse — nonne necesse paene fuit eum, quandoquidem nolebat heroinam ipsam obscoenis precibus privignum adire, pro nutricis nuntio ad epistulae instrumentum commodissimum refugere? Nonne facillume, qui iam non querelas, sed veram suasoriam conscripturus erat, verum epistulae nuntium invenit?

Jubent alii ad Velati auctoritatem redire et Ovidium et tabellas quae inveniuntur in sarcophagis Hippolyteis,[1]) alii si non ex Velato, certe aliunde[2]) necessario notam fuisse artificibus — Ovidioque scil. — Phaedrae epistulam. At valde in Velato heroidos mores abhorrebant a tali pudicitiae instrumento et recte iam probavit Robert unicum sarcophagorum exemplar Coroniferum esse.[3]) Deinde non habuerunt artifices, quo melius nutricis nuntium ante oculos demonstrarent quam per ipsam fictam epistulam. Quod autem artificibus gratum fuit artificium, nonne facilius, si potest, praebebatur poetae, qui non modo tragici exempli scaenicas res ad elegiam rettulit, sed etiam utramque Hippolytorum fabulam una declamatione contaminare conatus (v. i.) Velati libidines, quas omittere nequiebat, qualicumque maioris pudicitiae externa quidem specie repetiit?

Porro neque Kalkmanni sollertiae contigit, ut praeter Velatum proprium formae epistolaris fontem a Nasone hic exhaustum esse probaret — Choricius enim, quem solum attulit (p. 65), testis est quam minime idoneus[4]) — neque fidem habeamus opus est

---

[1]) Leo, Wilamowitz, Kalkmann (Arch. Ztg. 1883, p. 37 sq. 105 sq.

[2]) Velut Leop. Schmidt, Arch. Ztg. 1847, p. 69/70; Dilthey observ. p. 5; Huddilston l. l. p. 128, 2; alexandrinam huius epistulae inventionem dubitanter admisit Ilberg: Roscher p. 2223.

Sophoclea fabula huc non pertinet, v. s. Rem de epistulae (Ph.) inventore in dubio reliquit O. Jahn, Arch. Beiträge 310/11.

[3]) l. l.

[4]) Hunc enim praeter Euripidem nullum scriptorem hic inspexisse eo credibilius est, quod non modo Hippolyti fabulam servatam illum cognitam habuisse probari licet (cf. Malchin, De Choricii Gazaei veterum scriptorum Graec. studiis 1884, p. 46/7), sed etiam in aliis rebus plurima de suo invenisse etiam Kalkmanno (Arch. Ztg. 1883, p. 143 sq.) exploratum est.

Schmidtii[1]) Rohdiique[2]) coniecturae ad Lycophronem (trag.) refugienti neque denique feliciter cessit Kalkmanno persimilem Byblidos epistulam (v. i.) Alexandrinam esse inventionem statuenti[3]): ipse suam Phaedrae epistulam invenit Ovidius eamque quin inveniret ea quam descripsimus via paene fieri non potuit. Ac prima[4]) Phaedrae vera heroidum epistula conscripta est,[5]) nudis illis aliarum quarundam declamationibus iam perfectis.[6]) —

---

[1]) Arch. Ztg. 1847, p. 66.

[2]) „Griech. Roman", p. 37.

[3]) Quod affero [etsi Buergerus l. l. merito Alexandrinorum epistolia, ad quae et Diltheius olim (l. l. p. 3 sq.) revocaverat de heroidibus, huc referri posse negavit], propterea, quod Phaedra Byblisque seiungendae sunt a ceteris heroidum epistulis, v. i.

[4]) Erravisse igitur videtur etiam Robert (Sarkoph. III, 2. 169), qui Ovidio propter reliquas heroidum epistulas et Phaedrae litteras conscribendas fuisse sibi persuasit.

[5]) Perraro exstiterunt, qui heroidum carmina, quae prima conscripserit Ovidius, conicere conati sint. Frustra autem Lunnak (Quaestiones Sapphicae) hariolatus est a Sapphus epistula totum librum originem ducere — quod facile refutari potest, ut taceam de exigua auctoritatis fide —, frustra Piéri (l. l. p. 15) a Medeae argumento. Qualibus vaniloquentiis gravius id peccatur, quod semper totum corpus ita tractare solent, quasi uno consilio unoque tempore conscriptum sit. Unde summas in angustias inciderunt e. g. de Properti Arethusa.

[6]) Haec si recte disseruimus exspectabis perpetuam virorum doctorum controversiam tandem nos compondituros esse de disticho A. a. III, 345/6 quid sibi velit:

„Vel tibi composita cantetur Epistula voce:
Ignotum hoc aliis ille novavit opus"

At etiamnunc nolim cum Jurenka („Beiträge zur Kritik d. ovid. Heroiden" Vindob. 1881, p. 19) Buergeroque (p. 32 et 37) eo procedere, ut Nasonem ita de vera inventione locutum esse et Propertium (V, 3) hic quidem Ovidii vestigia pressisse existumem. Nec stare possum omnino cum Ehwaldio (Burs. ann. 1901, p. 180), etsi recte dicit Ovidium ita haud immerito gloriatum esse etiam Properti Arethusa cognita. Immo cum verum totius libri fundamentum ante Arethusam positum esse atque heroidum priores minime ut epistulas, sed nudas declamationes scribentes fictas esse persuasum habeam (v. s.) cumque et viam descripserim, qua forma epistolaris apud Ovidium nata sit, nec non probaverim postea dictionibus quibusdam ex imitatione modo Arethusae modo Phaedrae novum epist. initium inculcatum esse, iam dubium non fore spero, quin illud novandi vocabulum hac naturali usitatissimaque vi usurpaverit

Suasoria minutissima ut diximus Phaedra privignum ambit, ut epistulam legat. Ac pergit noverca cum amato communicare, qua via ad epistulam scribendam ipsa processerit: „ter tecum loqui frustra conata sum — pudore scilicet impediente. Sed cum amore meo iubente nihilominus cogerer ardorem tibi tandem fateri, necesse erat me circumspicere, [1]) quo modo utrumque

poeta: „retractando redegit in novam formam". Unde et temporum omnes difficultates (cf. Reisch, Wiener Studien IX (1887) 114) evanescunt et apparet contortioribus verborum „ignotum aliis opus" interpretationibus [velut Werferi act. phil. Monac. 1814, p. 495 sq.; Birtii mus. Rhen. XXXII, 400/1; Dilthei (observ. I, p. 3); Peteri, Brief i. d. röm. Litt., p. 189; Leonis, Gött. gel. Anz. 1901, p. 323] iam parum probabilitatis inesse prae hac simplicissima: „carminum priusquam nova (epistolari) forma induta sint, nondum foras editorum." Et id simul certius fit hinc demum etiam Etonensis codicis initiis maiorem quandam auctoritatem exsistere, praesertim quibus cautissima verba epistolari stilo eliguntur: V. verba mittit. VI. Hypsipyle dicit [Iasoni e. q. s.]. VII. accipe carmen. Cf. etiam VIII, XII (Et.?).

Ceterum quod distichon praecedit in Artis loco:

„*Deve tribus* libris, titulo quos signat Amorum
Elige, quod docili molliter ore legas."

parum recte hucusque attulerunt viri docti, ut alteram Amorum editionem ante Artem in lucem missam esse evincerent. Quod fieri quidem potest, hinc tamen minime concludere licet. Est enim vocabulum „tribus", quod nullam in suspicionem vocant editores recentissimi (Housman, Brandt, cf. etiam Piéri, p. 6; Tolkiehn, p. 14 Quaest. ad her.) aperta serioris codicis interpolatio (glossema scil.). Quod suo iure nuper etiam F. Jacoby (mus. Rhen. 1905, p. 71, 2 monuit, denuo tamen (post Heuwesium, Diss. Monast. 1883, p. 14 et 21 sqq.: „De tempore quo Ov. amores, heroides, ars amat. conscripta et edita sint) negare suscepit E. K. Rand (American Journal of Philol. 1907, p. 293). Ac ne coniecturis quidem, quibus alii cautiores locum sanare conabantur — velut Luc. Mueller (mus. Rhen. 17. 525) „deve tener", Riese (ed.) „decerpens" —, aliquid poetae lucrati sunt.

Suspicor Nasonem pro magna sua eloquendi venustate scripsisse: „De Venerum libris titulo quos signat Amorum." Ac certe ipsa codicum meliorum lectio quam proxime a tali coniectura abest: „devecerem" vel (corr. R.) „deeecerem". Quin etiam Heinsio teste (cf. Heuwes l. l.) in codice quodam Palatino inveniebatur: „deveterum". — Cf. Propert. II, 10. 7/8: „Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus Bella canam quando scripta puella mea est."

[1]) Sanum esse quod praebent codd. „et sequitur" ne Gilbertus quidem (progr. Misn. 1887, p. 18/9) mihi persuasit; vereor ne O. — per

postulatum coniungi posset. Ac nullum mehercle exitum patere vidi nisi in epistulae instrumento — hac certe via pudor amori misceri et potest et debet. Quare quod utique fateri amor cogit, pudor per colloquium fateri (dicere) vetat, cogor debeoque scribere." Hunc quidem habes plenum sanumque deliberandi tenorem. Quo tamen in persequendo lapsus est Ovidius, cum complures illas longioresque et sententias et oppositiones uno in pentametro 10 ita confudit[1]):

„Dicere quae puduit, scribere iussit amor."

Nihilominus eodem modo, quem voluimus, revera hic poetam ipsum deliberavisse apparet ex huius loci emendatione[2]) mett. IX, 514/6 (Byblidos):

---

parenthesin — scripserit: „en sequitur" („et" per dittographiam ex „licet"). Ad meditandi autem statum optime pertinet etiam Ovidiana sui ipsius imitatio mett. IX, 517: „hoc placet, haec dubiam vicit sententia mentem" — quod nunc a Magno quoque (Hermes XXXIX (1904), p. 62) Byblidi, non poetae tribuitur.

[1]) Unde factum est, ut imitatores quoque in angustias inciderint: velut Vincentius (PLM Baehr. vol. IV, p. 361): victe pudor, compone preces! (secreta duorum Tertius ignoret: sit tantum littera testis Immensum locutura nefas), Salmasianae Didonis auctor (cf. cap. I): Nota queror: vellem tacitis peritura querelis Flere domo, vellem iam tabida fundere fletus. Sed negat ipse dolor, quod iam pudor ante negavit scribere iussit amor miseram me cuius honestam fecit culpa fidem." Cf. etiam ep. XX, 232.

[2]) Byblidos epistula testimonio fuit viris doctis aliis Ovidium etiam tum, cum transformationes conscripsit, in heroidibus conscribendis versatum esse (cf. W. Zingerle, Untersuchgn. z. Echtheitsfrage d. Her. Oenip. 1878, p. 2; Tolkiehn, p. 14; Buerger l. l. p. 45), aliis illo transformationum tempore a iuvenilibus heroidum epistulis omnino iam destitisse, cum epistulam illam heroicis versibus conscripserit, non elegiacis (Lachmann, Kl. Schr. p. 56 sq.; Leyhausen, Diss. Hal. 1893, „Helenae et Herus epistulae Ovidii non sunt" p. 15). Quibus alii accedunt, qui satis habent Byblidos epistulam in eodem numero habere atque heroidas (Schanz, hist. litt. rom. II, 1. 203; Peter, D. Brief i. d. röm. Litt. 1901, p. 193, 1; Vahlen „Anfänge" p. 31). Sed tamen certiora praesto sunt argumenta ad Lachmanni coniecturam fulciendam: Byblidos enim epistula cum ceteris heroidum „epistulis" nullo pacto conferri potest, nisi cum Phaedra (Canaceque quod ad argumentum attinet) atque ita conscribit hic Ovidius, ut appareat eum impensa opera quam brevissime tantum summarium atque schema iuvenilis illius epistulae reddere,

„poterisne loqui? poterisne fateri?
coget amor: potero! vel si pudor ora tenebit
littera celatos arcana fatebitur ignes."

Ut autem sententiam suam depravaret poeta, inde factum est, quod modo maluit ieiuniorem argumentationem brevius eloqui, modo id operam dedit, ut aptius primarias quasdam sententias Euripideas Phaedra adiungeret 11/12:

„quidquid amor iussit, non est contemnere tutum[1]):
regnat et in dominos ius habet ille deos,"

quas optime iam prooemium decere, ut in Euripide prologum (v. 11, cf. etiam 447. 525 ut alia omittam)[2]), non ignorabat Arelli discipulus quibusque tertiam epistolaris viae excusationem inchoat — transitu igitur non aliter munito, quam versus 10 sententia haud ita commode praecipitata.[3])

---

omnem rerum enarrationem rhetoricam fugere, postremo si non illudere se ipsum suique iuvenis carmen nimis rhetoricum, at certe valde gaudere, quod nos in officinam seducere possit, in qua etiam verae epistulae inventio excogitata fuerat (quocirca aperte ante epistulam ipsam narrationi quam brevissime insertam viam demonstrat, qua ad epist. formam olim pervenerat eamque Phaedrae fere verbis).

[1]) De novis sententiae rhetoricis coloribus v. i.

[2]) In medio relinquendum est, num Ovidio aliae, velut Velati, sententiae sane simillimae hic ante oculos versatae sint: cf. praeter frg. 430 (Ἔρως δυσμαχώτατος) frg. 431 (Nauck). Ubi coniectura Herwerdeni κοὐ θέλων sententiae [prorsus Euripideae, non Sophocleae!] acumen misere retunditur, praeterquam quod vocabula ἐγκλίνεται et ὑπείκειν certe acute graviterque idem sonent, quod paulo gravius repetiit Euripides in Coronifero, 458 (in eadem Amoris re!) ita: στέργουσι δ' οἶμαι συμφορᾷ νικώμενοι, ubi eleganter στέργουσι eo simul spectat quod dicimus „sich etw. (gern) gefallen lassen" (καὶ θέλων). Hoc autem suo more vertit poetarum lascivissimus amor. I, 5, ubi se puellam desiderantem fingit. Venit Corinna. Pugnabat cum amato, sed ita pugnabat „tamquam quae vincere nollet". Satisque aperte pergit poeta, v. 15: „Victa est non aegre proditione sua." Simillimum legitur in Arte I, 665 sq.: „Pugnabit primo fortasse et improbe dicet Pugnando vinci se tamen illa volet."

[3]) Pudorem Amoremque apud Ovidium saepius paeneque topica vi induci altercationem ut personas rhetorice habentes notissimum exstat exemplum mett. I, 617 sq., cf. etiam amor. III (!), 10. 28, I, 2. 32; mett. II, 846 (ep. Sapphus 121, ep. XIX, 171/4; cf. de Vries, p. 83).

Deinde id simul hinc (7—10) apparet Latinum poetam non modo cognitam habuisse Velati Phaedram sese ipsam privigno offerentem, sed etiam ratione sua poetica nisum maluisse meliorem Coroniferi pudicitiam suam facere — nisi quod haud parva ironia tali conatui inest, cum noverca castiore quidem epistulae via Hippolytum adeat, in iisdem tamen litteris insolentissimas sententias postea haudquaquam exhorreat. Ecce Ovidius quasi subridens v. 9: „qua licet". —

Et aliud quoddam memorabile est de disticho 7/8. Non illud dico eandem sedem Phaedrae Hippolytoque tribui — si quidem hos tantum versus respicis — quod negavit e. g. Peters (p. 25). Neque in „ter" vocabulis haerere debes, quorum sententiam Birt in Coroniferi scaena 392 sq. recognoscere temere sibi visus est (mus. Rhen. XXXII, 405, ann. 2), alii velut Ruhnken ad Apollonium auctorem (III, 654) rettulerunt, Ovidium non de suo invenisse Leop. Schmidt (Arch. Ztg. 1847, 68/9) contendit, Kalkmann (de Eur. Hipp. p. 25, ann.) Alexandrinorum more pronuntiatam esse censuit. Etiamsi enim ipse, praecipue post Dielesii[1]) Usenerique[2]) quaestiones, minime ignoro numerum ternarium piam popularemque vim accepisse, — quod iterum probatur ei qui adamaverit Germanorum carmina popularia — tamen hic quidem agi existimans non tam de vocabulis, quam de re velim huius distichi sententiam non modo propriam Ovidii inventionem esse, sed etiam Ovidium aptius nequiisse illustrare suam utramque fabulam contaminandi rationem.

Nunc vero quid iudicas de Annaeo? Pro explorato habuerunt viri docti Leo (p. 176), Kalkmann (p. 24), alii Ovidii Senecaeque consentaneis nihil aliud demonstrari, quam utrumque poetam ad communem fontem, Velatum scilicet, accessisse. At sicut liceat ostendere Annaeanae Phaedrae mores confluxisse ex utriusque fabulae Euripideae novercis contaminatis — quod non primus dico (cf. G. Schueler, Diss. Gryphisw. 1883 „Quaestiones Vergilianae, sentent. controv. 2),[3]) vereor ne in hac quidem re Seneca

[1]) Archiv f. Gesch. d. Philos. X, 232; Sibyll. Blätter 40.

[2]) Mus. Rhen. 58, 1; 356 sqq.

[3]) Novissimus Annaeanorum exemplorum arbiter R. Schreiner (progr. Straubing. 1907: Seneca quomodo in tragoediis usus sit exemplaribus Graecis) quamvis de aliis rebus multiloquus tacet de Phaedra

sibi Ovidium ipsum ad imitandum proposuerit, utpote qui eandem contaminando operam navaverat. Totam enim scaenam (589 sqq.) composuit rhetoricisque nimirum suis coloribus Annaeus exornavit, qua Phaedram tribus gradibus privignum confessione adeuntem finxit — Velati autem Phaedra, ad quam revocavit Kalkmann (p. 33), certe non ea fuerit, quae pudore ita retineretur. —

Hinc tandem alterum introimus prooemium, quod Nasonem declamationi etiamnunc inhonestae praefatus est rhetorice insinuandi causa quodque disticho 15/6 [1]) transitus vice inserto continetur versibus 17—34 [2]) (36). Ubi iterum in poetae offi-

utpote (p. 23. 1) „cuius qui fuerint fontes, non solum difficillimum est statuere, sed cum maximam partem de deperditis agatur exemplaribus ad nostrum propositum nullius fere momenti". (!)

[1]) Lennepii (ed. 1812) Gilbertique (Progr. Misn. I. p. 4) coniectura „fingat" salse dictum misere diluitur („figat (Amor) sic animos in mea vota tuos!").

[2]) Versui 17 revera ab Ovidio eius modi graviorem totius compositionis locum tributum esse apparet simul ex inscriptione parietaria Pompeiana a Sogliano, viro docto, recte recognita (Notizie degli scavi 1892, p. 268). Ubi enim Phaedram per nutricem Hippolyto epistulam mittentem videmus (de inventione v. s. de eiusdem archetypo picturarum sarcophagorumque v. Kalkmann, Arch. Ztg. 1883), legimus sub nutricis figura hasce litteras: NON IICO SOCIΛ (iuxta eiusdem figuram NO(N) HC(O) („Non ego nequitia socialia foedera rumpam"). Infra autem leguntur haec: VCIITI et LATONA (non „Latinu", cf. Mau, Mitt. d. arch. Inst. 1894, p. 146). Ac „Latona" bene quadrat ad fabulam Dianiam. Quid vero sibi volunt obscurae litterae VCIITI? Tacent viri docti, tacet et Ehwaldius (Burs. annal. 1901/2, p. 198/9). Atqui persaepe fit in parietibus, ut Graeca verba Latinis litteris (sicut Latina vocabula Graecis litteris) reddantur atque mediis in vocabulis Graecorum Latinorumque litterae confundantur. Habes igitur *οὐκέτι* habesque novam difficultatem, nisi quod facile est suspicari ita sententiam aliquam Euripideam respici, velut nutricis v 357 Phaedrae sic respondentis: *οὐκέτ' εἴμ' ἐγώ.* An coll. Ov. 131 sqq. mavis aliquid Velati hic supplere eo scil. pertinens non iam antiquos rusticosque deos mundi regnum obtinere? De sententiis quidem inter se discrepantibus certe non debes haesitare cum magnam ironiam inesse ipsi Ovidianae insinuationi appareat cumque qui litteras illas inscripserunt irrisione aliqua poetam etiam hic — more solito, cf. Friedländer, Sittengeschichte[5] III, 358 — lusuros fuisse veri simile sit. Sed cum desit coniciendi et terminus et successus, utique id quidem teneas non modo Ovidi carmen statim ad descriptionem aliquam Euripideam relatum esse, sed etiam epistulae a Phaedra ad Hippolytum datae scriptorem nullum notum fuisse videri tum illic praeter Ovidium (v. s.).

cinam irrependi gratissima offertur occasio. Nervi enim ut ita dicam insinuationis fuerunt hi:

17/18 „Non ego nequitia socialia foedera rumpam
(Fama, velim quaeras, crimine nostra vacat)
19 Venit amor gravius, quo serius; urimur intus:
26 Vae[1]) venit exacto tempore: peius amo.[1])
33/36 At bene successit, digno quod adurimur igni,
Peius adulterio turpis adulter obest:
Si mihi concedat Juno fratremque virumque
Hippolytum videor praepositura Jovi."

Quibus continuo nequiit Ovidius non inserere pro indulgentia sua elegiaca topicas sententias amatorias has: (20—25)

„Urimur et caecum pectora vulnus habent,
Scilicet ut teneros laedunt iuga prima iuvencos
Frenaque vix patitur de grege captus equus,
Sic male vixque subit primos rude pectus amores
Sarcinaque haec animo non sedet apta meo
Ars fit ut a teneris crimen condiscitur annis —

Qua in interpositione[2]) somniantis poetae usum elegiacum agnoscamus cogitationum tamquam occulto associandarum: 19/20 gravius vulnus; intus caecum. urimur urimur. 20/1 vulnus laedunt 21/3 teneros prima primos rude 21/4 iuga sarcina 19/26 (!) quo serius exacto tempore, gravius peius. venit venit. 25/6 + 19 teneris annis exacto tempore quo serius. 23/24/25 rude non apta peius. — Per gyrum igitur cogitationum a mago quasi ducimur, ita ut paene vertigine corripiamur. Exordiens autem gyrus elegiacus a v 19 concluditur arte delitescente versu 26.[3])

---

[1]) Sic tandem rationem reddas versui vexatissimo 26, in quo alii (cf. Sedlm. adnot.) coniecerunt „Quae calet", „cui venit", alii aliud: velut Riese (Litter. Centralbl. 1881, p. 535) „quaeque amat", Owen (Classic. review) „quam ferit", alii omnino disticho 25/6 obelum apposuerunt velut P. H. Damsté, Mnemosyne XXXIII. 1905, p. 13.

[2]) Pendet Naso inter incesti insinuationem atque amoris excusationem generaliter instituendam.

[3]) Lehrsius, qui Hor. praef. CCL Phaedrae quoque epistulam interpolationibus scatere iussit, e. g. hic haeserit, ubi languorem quendam ipsi accusavimus.

Hoc autem minime contentus versibus 33/4 novum superstruxit conatum Ovidius, quo ad Hippolytum perveniret oratio, fortasse, cum a sententiis de primi amoris impetu languidius insertis primariam gravioremque sententiam (17/8) nimis recedere ipse sentiebat, vv 27/8:

„Tu nova servatae carpes libamina famae
Et pariter nostrum fiet uterque nocens —

Quod distichon revera postea conscriptum esse inde patet, quod versibus 33/6 ita herois loquitur quasi nondum attulerit amati personam, nedum appellaverit.

Unde iterum animo suo indulgens „nesciusque quod bene cessit relinquere“ (Sen. contr. IX, 5. 17) delapsurus est Ovidius: vv 29/30

„Est aliquid plenis pomaria carpere[1]) ramis
Et tenui (!) primam delegere ungue rosam“

nisi quod celerius nunc ad viam revertitur (quam latius iam iam relicturus erat. cf. pent. 30) disticho 31/2, attamen haud sine languida quadam repetitione:

„Si tamen ille prior quo me sine crimine gessi
Candor ab insolita labe notandus erat.“

Insinuationem autem exeuntem facit Ovidius in distichon 35/6, quo non modo nomen amati tandem affertur, sed etiam occulto quasi acumine hexametri: „si mihi concedat Juno fratremque virumque“[2]) obscoenum posterioris quidem carminis argumentum — nefasti cognatorum amoris — satis aperte audienti significatur

---

[1]) Praebent codices PGω in versu 27: „carpes“ [carpis] (Planudes δρέψῃ) o „capies“. Coniecit Heinsius „rapies“. Palmerus scripsit (o) „capies“. Attamen liquet (v. s.) minime illud „carpes“ ex versu 29 huc redundavisse, sed poetam ad versum 29 male delabi nequiisse, nisi antea id ipsum „carpes“ scripserat.

[2]) Sententiam igitur topicam (cf. am. III, 16. 13/4; Tib. IV, 13. 13/4; Catull. 70 et 72) non solum παραφράσεως more rhetorico adhibuit Ovidius, sed etiam vehementer pro propria argumenti indole acuit.

(cf. 133/4) idque non sine magna ironia poetica in ipius insinuationis fine!

Duobus igitur prooemiis absolutis propositioneque prolata (35/6)[1]) vera exorditur declamatio.

Ubi quod primum herois Euripide auctore[2]) loquitur de venatione melius velim observetur Phaedram in Coronifero (207 sqq.) venandi studium amati veri simillime inter insaniae imagines ac non repente, sed paulatim et sua sponte quasi, per aptissimam gradationem, affectare, apud Ovidium autem tamquam de vero cotidianoque suo venandi studio verba facere, quamvis caute non nimis recedat a merae cupidinis condicione. —

Notum est apud Romanos venandi studium sero viguisse absque poetis Augustei aevi Horatio, Propertio, Tibullo, Sulpicia, si quid umquam de venatione proferunt, Graecorum Alexandrinorumve more dici,[3]) hos autem rivulos rursus plerosque aliquo modo ex celeberrimo Euripidis exemplo ducendos esse[4]) — quod etiam in Galli elegiam venaticam cadit a Vergilio amico laudatam ecl. X, 56 sq. Quid vero dicis de Ovidio? Discrepat certe cum ipso Euripide. At nihil est, cur in aperta ipsius Euripidis verborum quidem imitatione alterum ignotumque Euripideum auctorem, sive Latinorum sive Alexandrinorum, secutus sit. Itaque cur tandem optimum exemplaris sensum commutavit?

Rationem mox invenis hanc: conscripsit Naso in totius epistulae priore parte (35—102) declamationem de prooemii

---

[1]) Haud fortuito poeta Ovidianus Vincentius (v. s.) suam Phaedrae epistulam indidem exorditur v. 5: „Hinc tamen incipiam: caeli regnator amavit Et thalamos tenet inde soror. num crimine dignum est, Quod mundus cum lege facit?“

[2]) Exempla contulit Birt mus. Rhen. XXXII, 404.

[3]) Cf. Maass, Hermes XXIV. 1889, p. 526; Buerger, Hermes XXXVIII. 1903, p. 21; Wilhelm mus. Rhen. LXI. 1906, p. 97; Satura Viadrina Vratisl. 1896, p. 50; — nihil novi docuit Johannes, Diss. Gott. 1907: De studio venandi apud Graecos et Latinos, p. 72 sq.

[4]) Cf. Dilthey, De Callimachi Cydippa, p. 43 ann. 1; Skutsch, Aus Vergils Frühzeit, I, p. 15; Ehwald, Burs. ann. 109, p. 197.

sententia: „pudor miscendus est amori“ [1]) i. e. in fabula Hippolytea: „Dianae Venerisque studia coniungenda sunt.“ [2])

En primum studet heroina amatum eo sibi conciliare, quod sese quamvis Veneris puellam tamen et Dianae Hippolyteae morigerari fusius exponit. [3]) Ac profecto hoc Nasonem voluisse certius fit ex ea parte carminis dilucide huc respondente, qua haud iam ambigue sic Phaedra pergit: „tu nunc tuae Dianae studio [meae] Veneris cultum debes adiungere — quod fieri posse non modo egomet ipsa docui (v. s.), sed etiam insuper praeclara fabulosarum personarum exempla clamant.“ —

Priusquam autem ad amatum ipsum sese verteret, a se non impetravit Ovidius, quin respiceret Euripideam illam ingeniosam insaniae descriptionem (l. l. et 141 sq.), quamquam pro novo suae imitationis modo loco haud iam idoneam. Quod valde inconcinnum esse minime ignorans refugit Naso ad furorem ita depingendum, quasi tantummodo de venatricis habitu bacchandi ageretur (47 — 50). [4]) Atque idem — quam aegre scil. potuerit imitator utramque rationem contaminare — aliunde patet. Pessume enim complures confluxerunt sententiae in disticho 51/52. Ac primum de venante Phaedra sic certe orationem concludi pro primario consilio oportuit: „vides igitur me in amore meo tuos quoque Dianae labores bene suscipere.“ At postquam inseruit poeta disticha de furentis habitu, debuit huc quoque quodam modo in conclusione spectare. — Qua in re subito veram Euripideam insaniam semet ipsum iterasse sibi persuasit dubitanti sic occurrens: „Quod si mireris, unde haec omnia tam bene sciam: postea me certiorem faciunt (Eurip. 232 sqq.) furoris impetu remisso.“

---

[1]) Memorabile est Dianae Venerisque oppositionem demum in extremo (assuto?) fine (167 sqq.) rursus apparere, quasi Ovidius studuerit verum totius declamationis fundamentum, quod ipse in altera parte valde obscuraverat [v. i.], exeunte quidem carmine apertius demonstrare.

[2]) Thema igitur declamandi desumpsit poeta rhetoricus ex hac Velati sententia: frg. 428 (N.)

οἱ γὰρ Κύπριν φεύγοντες ἀνθρώπων ἄγαν
νοσοῦσ' ὁμοίως τοῖς ἄγαν θηρωμένοις.

[3]) Huc spectat Ovidius a. a. II, 193 sq. ubi vereor ne Maassius Wilhelmusque l. l. praepropere Alexandrinum fontem statuerint.

[4]) Obiter de hoc Kalkmann, p. 89; Castiglioni studi Alessandrini I, Pisae 1907, p. 37; item de disticho 51/52 Birt l. l.

Unde continuo ac sua sponte quasi priorem illam sententiam ita commutavit: „in venatione mea minime amoris obliviscor.“

Huc autem inde simul adducebatur Naso, quod meliore transitu niti voluit ad (53/4)[1]) amorem ipsum excusandum. Ubi quod afferuntur exempla Euripidea Pasiphae Ariadneque et additur Europe ex propria doctrina aetiologica — qua magna voce gloriatur poeta per parenthesin: „prima est ea gentis origo“ — denuo male contigit Ovidio prae nimia sua animi indulgentia, ut unam salvamque sententiam seriei generis supponeret. Primum enim debuit nihil aliud proferre exemplis suis nisi hoc: „mirum non est, quod ipsa Veneri deae obsequor, cum Cretensium feminarum sim ad Venerem omnibus temporibus pronarum.“ At brevi post subvenit poetae elegiaco tristissima haec sententia quamvis immatura: „ut totius generis amores infelici eventu fuerunt, ita egomet ipsa nunc eiusmodi amore ardui, qui numquam prospere procedere possit.“ Hinc autem, praesertim taurorum amoribus Pasiphaae Europaeque allatis, nascebatur extrema sententiarum et amplificatio et alienatio eo pertinens puellarum Minoarum ignes non modo infelices fuisse, sed etiam nefastos quod iam longissime abest cum a priore exemplorum consilio, tum ab idonea huius suasoriae condicione, quamquam excusationem quandam hinc desumpsit Ovidius.[2])

Quibus conscribendi casibus[3]) denuo supervenit mirificus hic:

[1]) Etonensis auctor coniectura sua „sectamur“ succurrere voluit Ovidio, ut transitum suum melius in furoris impetu poneret, utpote quem brevi ante depinxerat, destruxit tamen optimum distichi acumen: „reddamus — tributa petit.“

[2]) Pendet igitur poeta inter duas fabularum traditiones, quarum prior docet domum Cretensium revera Veneris fuisse (v. s.), altera Venerem in hanc ipsam domum graviter succensuisse ob Solis delationem. Europam autem harum neutri convenientem veri simile est postea Pasiphaae amore tauri suadente adiectam esse, fortasse ex Cretensium Euripideae fabulae recordatione, — cui revera Europam anum interfuisse recte vidit Robert „Pasiphaesarcophag“ 1890, p. 20 et 23. Quod autem attinet ad „tributa illa Veneris“ optime convenit novum Cretensium frustulum (Berliner Klassikertexte V, 2. p. 74) ubi persimiliter Pasiphae voluntatem divinam accusavit; cf. p. 180 ann. 2 Hygin 148; Serv. ad ecl. VI, 47.

[3]) Indidem expediendum erit quod magnas paravit difficultates interpretibus 62: „ultima in socias leges eo“ — quod necessario nunc ambigue dictum est: 1. ad Venerem cogor (ut Cressa puella), 2. ad socias leges fallendas cogor (in = adversus).

Ovidius cum de Theseo loquitur Ariadnae sororis perfido hospite (59/60)[1]) ac praeterea lascivit in exponendo Theseum Ariadnae, Phaedrae Thesidem amatum esse, id certe studet praeter verborum argutias (v. i.), ut non modo novum quoddam fatale in exemplis suis ponat, sed etiam incesti amoris crimen — quod modo accusaturus fuerat — quantum possit si non semoveat, at certe apud lectorem velet obscuretque. Nam si Ariadnam rapuit Theseus, nempe videri nequit,[2]) quo tandem modo et quando ab eodem Phaedra quoque soror ad nuptias seducta sit.[3]) Veri simile igitur fit poetam Sulmonensem eo hic spectasse, ut deminutionem illam tragici ponderis vitaret, quam apud Euripidem in novo illiciti amoris nodo positam esse demonstravimus.[4]) Idem autem curatur tota hac priore quam volumus declamatione, qua non tam de novercae amore Hippolyti agitur, quam de Dianae

---

[1]) Frustra coniecit Gilbert progr. Misn. 1896, p. 3/4 „effugit" (v. 60); Hilberg „subiit".

[2]) Quod iam Maxim. Mayer p. 64 recte vidit, nisi quod cum Ariadnae omnes in trilogia (Aegeus, Theseus, Hipp. Vel.) partes demendas esse [Theseus quo alio modo labyrinthi periculum superaverit si quaeris: adest Neptuni votum, cf. Wilamowitz et Robert, Hermes XV (1880) p. 483; Robert, Arch. Jahrb. IV Anz. 143] et in Velato pro Ariadna Phaedram a Theseo e Creta abductam esse continuo conclusit, id afferre omisit talem novationem inde quam facillume factam esse, quod revera eaedem olim personae Ariadna Phaedraque sorores fuisse videntur (v. s.) — unde fortasse etiam Gloelii dubitationes semovisset (Wochenschr. f. class. Phil. 1884, p. 1221). Omnino autem hoc neglexit harum rerum recentissimus scriptor L. Castiglioni l. l. (1907), qui Alexandrinorum de Ariadna epyllion primam originem ducere ab Ariadna in Theseo Euripidea valde celebrata probare studet. Itemque erravit G. Körte (in libro gratulatorio ad Ernestum Curtium misso 1884, p. 205) Sophoclem in Daedalo Euripidemque in Theseo easdem Ariadneas res tractasse suspicans, nec non Pallat l. l. p. 36 sq. 57 sq. (versu Euripideo 339 etsi clanculum quidem [sed cf. Robert, Sarkophag. III, 173) ad Ariadnae fugam pertinente niti non debemus ad Thesei fabulae Ariadneas partes evincendas!).

[3]) Quapropter mirum est, quod versum 63 Ehwald, Burs. ann. XXXI, 163 (cf. etiam Kalkmann p. 116/7) ex Velato fluxisse voluit. Seneca autem (665/6) hic quoque Ovidium secutus est: „domus sorores una corripuit duas, te genitor, at me gnatus" (!) — sicut in versibus sequentibus poetam Sulmonensem modo imitatur, modo impensa opera corrigere studet v. i.

[4]) Nihilominus meram Nasonis socordiam accusavit Mayer l. l.

Venerisque moribus coniungendis, ita ut solum et genuinum totius tragoediae fundamentum (v. s.) ingeniosissime ab Ovidio perspectum fuisse appareat quamvis ab Euripide velatum. Porro si legeris distichon 65/6:

„Thesides Theseusque duas rapuere sorores
Ponite de nostra bina tropaea domo“

mirum videatur ac nimis quaesitum illud „tropaea“. Quod tamen non modo in imaginum amatoriarum sollemnium numero ducendum est, sed etiam proprio callidoque consilio hoc ipso loco usurpatur — id quod imitatorem (ep. XVII, 244, XXI, 214 de lectione huius loci cf. Birt Goett. gel. Anz. 1882, p. 836 [aeque miser. corp. Ingenio videas, bina trop. t.]) sola — solito more — auctoris vocabula iterantem valde ut fefellit, ita redargnit. Ut enim „bina“ vocabulum certis numerorum argutiis Phaedrae loco debetur (de quibus v. i.), ita tropaeorum verbo utitur Ovidius, ut transitum sibi paret[1]) ad Eleusinia stadia Hippolytique amati tropaea Eleusinia.[2])

Hac autem in descriptione, cui longius nunc poeta operam dat una cum ceteris Hippolyti moribus Phaedraeque flammis depingendis, etsi Rohdio concedo Alexandrinum quendam colorem pellucere, tamen nimium, ut solet, voluit Kalkmann (p. 115), cum Heliodori historia (cap. X) comparata negavit Ovidium ita scribere potuisse, nisi proprio Alexandrino fonte exhausto. Heliodorum enim non modo Euripidem ipsum, sed etiam Hippolyti fabulam bene novisse aliunde patet, deinde, quod aliquem

---

[1]) Quod si vidisset Joh. Leyhausen (Halis 1893 Diss. „Helenae et Herus epp. Ovidii non sunt“, p. 58) multo vehementius verborum furem vituperavisset. Idem cadit in ceteras harum epistularum similitudines (v. i. cf. etiam caput III) velut IV, 63. 143 ∼ 180/2 (Helenae). [Nova de heroidum appendice studia Clarkii (Harvard Studies 1908) nequii hucusque inspicere.] Aliter res se habet de tropaeis ep. IX, 104 ∼ Soph. Trach. 1102; cf. C. Atzert, Diss. Gott. 1908, p. 37: De Cicerone interprete Graecorum.

[2]) Quod affert Priscianus versum 67 (I, p. 544 *K*) quodque laudat Ovidium „in heroidibus“ moneo versum ipsum allatum inveniri in eo carmine, cui forma epistolaris aliis multo plus valuit (v. s.!). Sin autem alicubi heroidum praescriptio „epistulae“ audita esset — quam non desinunt viri docti Ovidio tribuere; recentiorum affero Piérium p. 11 — optima certe occasio eundem epistularum titulum afferendi hic oblata erat viro grammatico.

Heliodorum inter et tragoediam intervenisse patronus ille Alexandrinorum probaturus est (114 ann. 1), frustra talem auctorem ipse circumspexit. Usitatissimo insuper[1]) stili artificio utitur Ovidius vv 77—84, ubi sententiam generalem praemittit 77/8, addit singulas laudis condiciones (sive, seu, sive 79. 81. 83), revertitur voce „denique“ ad primariam unde profectus erat sententiam (77/8). Argumentorum autem („sive“) unicuique statim adiunguntur in pentametris apodoseon more sententiae, quibus proprie sententia illa generalis repetitur:

80 Exiguo flexos miros in orbe pedes[2])

82 Ora ferox in se versa lacertus habet

Quali sententiae ultimo in pentametro substituitur enumerationis enuntiatum hoc: „denique nostra iuvat lumina quidquid agis.“

Apparet igitur „iuvat“ quod in suspicionem vocaverat Sedlmayer (pro „iuvas“) utique tenendum esse, non modo propterea, quod ne vv 80 et 82 quidem Hippolytus agens inducitur, sed etiam quod orationis initium exitusque rhetorum more graviter inter se respondent: „te decet — nostra lumina iuvat.“ —

Porro Palmer quod deleri voluit (i. ed.) versus 82/3 non solum stili, sed etiam rerum argumentis refutatur. Accidit enim Ovidio praeter suam ipsius opinionem, ut cum de Hippolyto venatore locuturus erat nimis haereret in transitus sententia de artibus Eleusiniis exponenda. Quod eo minus commodum fuit — quamquam hae quoque ad Dianae cultum pertinent — quod revera pro huius prioris partis dispositione de Dianae venandi studio cum Veneris cultu coniungendo verba nunc facienda fuisse etiamnunc docet v 85:[4])

„Tu modo duritiam silvis depone iugosis“

---

[1]) Cf. ep. I, 13—22, De stilo rhetorico apodoseon cf. etiam Buerger, l. l. p. 77.

[2]) Mirum quod altercantur Palmerus (comm.) Damsteiusque (Mnemos. 1905, p. 14/15) de versus 80 „pedibus“, utrum equi an Hippolyti sint. Cf. distichon 45/6, unde aperte huc respondetur.

[3]) De verbi decendi usu Ovidiano, cf. Buerger l. l. p. 79/80.

[4]) Hac data occasione affero haud inepte Petrum de Lunesana a. 1417 nimiam Hippolyti curam venatoriam toti Phaedrae „complanctui“ supposuisse ut summum solumque argumentum, — quod initio etiam unicum Nasonis propositum fuerit, v. i.

Ubi profecto ita loquitur Phaedra, quasi antea iuvenis per silvas venantis duritiam enarraverit. Atque idem revera propositum quidem poetae fuisse etiam ex versibus qui sequuntur procul ullo dubio certius fit. Necessario igitur addidit Ovidius postremo enumerationis loco venatoris venabula, postquam currus versandi hastileque torquendi admirationem aperte de stadii artibus attulit. Deinceps nova obsistebat dubitatio critica viris doctis in versu 86:

„Non sum materia (GEω [1]) digna perire tua".

Faber, Sedlmayer, Riese (Litt. Centralbl. 1881, 535; 1886, 899) scribendum esse censuerunt „duritia". Quam coniecturam non admisit Birt (Gött. gel. Anz. 1882, p. 814, ann.), cum desideravit in pentametro auctam quandam sententiam. Bentley coniecit: „Non sum materies digna vigore tuo", Gilbert barbare invenit „barbaria" (progr. Misn. 1887, p. 4/5), Munro (ad Palmerum): „(Non sum materies digna perire) tuam" (duritiam), Palmer scripsit: „militia", coll. Am. II, 14. 6.

At mirabere, quod qui ad Amorum versum ingeniose revocavit: „Militia fuerat digna perire sua", coniecturae, non codicibus sensum substituit altero enuntiato eorundem carminum neglecto, quo ni valde fallor locus ambiguus defendi possit. Conferas enim quaeso am. III, 1. 41/2:

„Sum levis et mecum levis est mea cura Cupido
Non sum materia fortior ipsa mea".

Quid? nonne subaudis huius distichi hexametrum in epistulae versu quem tutaturi sumus? Qui poetae obversabatur, cum simillimam praeberet sententiam, ita scilicet ut Nasoni cum illi versui tamquam hic conscripto alterum additurus, etiam hic aptissimum, eundem versum verbis eisdem repetere nollet, in conscribendo sua sponte quasi et pergratus versus hic subiret:

„Militia fuerat digna perire sua"

Contaminando igitur nascitur versus frustra vexatissimus:

„Non sum materia digna perire tua". — [2])

---

[1]) Parisini unum folium hic intercidit (48—103).

[2]) An mavis: „Non sum materia digna perire mea" ubi spectet „materia" ad heroidem ipsam Cretensem nimis audacter nonnisi propter Hippolyti amorem venaturam?

Verum autem nos vidisse de vera prioris declamationis indole confirmatur versibus 87 sqq., ubi callidis argumentis Hippolyto dissuadetur unam Dianam assectari Venere neglecta, nisi quod iterum minus feliciter contigit Ovidio Cephali Adonidis Oenidis exemplis, ut ad unius sapientiae praeceptum persequendum varias fabulas variasve fabularum condiciones contaminaret (93—100). Nam cum Cephali venatoris Auroraeque amorem attulit, nequiit sibi temperare poetarum lascivissimus — pro Euripidei argumenti, incesti scil. amoris, conscientia —, quin attingeret laudaretque Aurorae adulterium, quamquam talequid a castitatis loco alienum erat.[1]) Deinde in Adonidis exemplo sentiri licet Phaedram revera, prioris partis more, de se ipsa loqui maluisse quam de Hippolyto, quia non tam Adonidem venatorem amore quoque flagrasse admonitura videtur quam etiam Venerem ritu Dianae venando incubuisse.[2]) Ultimo denique loco quod comperimus ne severissimas quidem Dianae personas Veneri tributa non reddidisse haec fabula, utpote qua solius Atalantae prior virginitas nobilitari solet (cf. etiam pent.), necessario ab Ovidio ita versa est, ut iuvenis venator protagonista videatur. Ac memorabile est Ovidium — haud scio an Meleagri fabula Euripidea commotus — mores Milanionis, qui in fabula Peloponnesiaca initio osor mulierum fuit,[3]) amore autem arduit, ubi primum Atalantam conspexit, Meleagro vindicavisse videri, quo similiorem venatorem Hippolyto afferret.

Hinc vero aptissime ducimur ad necessariam huius prioris partis conclusionem 101 sq.:

„Nos quoque iam primum turba numeremus in ista!
Si Venerem tollas, rustica silva tua est.“

Ubi quod statim annectuntur versus 103/4 de Phaedra Hippolyti venatoris futura comite nunc iam ita orationem exire

---

[1]) Quod apud Euripidem quoque (454/5) Cephalus et Aurora apparuerunt, omisit Birtius (l. l.), quomodo Euripideam rationem suam fecerit Ovidius vel mutaverit.

[2]) Liquet Ovidium quam lubentissime hic Dianae historiam amatoriam captaturum fuisse, dummodo usquam apud veteres talequid auditum fuisset. Quapropter interpretationibus illis Helbigii, Dilthei, Maassii parietum Pompeianarum (Helbig Nr. 253/7) vix assentiendum erit v. i.

[3]) cf. Robert: Hermes XXII (1887), p. 454.

quam maxime consentaneum esset, etiamsi nusquam apud antiquos simile quiddam exstaret.[1]) Quod totum utique debetur propriae Nasonis rationi, quam supra ostendimus Kalkmanno, utpote qui hinc potissimum Alexandrinum Ovidii exemplar apparere immatura sagacitate statuerat.

Iam vero tempus est ad difficiliorem versum aggredi 107:

„Hic tecum Troezena colam, Pittheia regna,"

Notum est Hippolytum superstitem locum Trozene habere, Annaeanam fabulam Athenis. De Velato, quod haud facile ad liquidum perducitur, Leo,[2]) quamquam dubitavit, tamen ex Mett. XV, 506 et Fast. VI, 739[3]) collatis Hartungi[4]) suspicionem suam fecit, qui primus hosce locos Ovidianos ad Velatum pertinere vidit, ubi Thesides profugus cum „Troezena petebat" Athenis certe proficiscitur. Unde unanimo[5]) recte nunc consentiunt viri docti Wilamowitz,[6]) Kalkmann,[7]) Mayer,[8]) Wagner,[9]) alii de Velati scaena Atheniensi, praesertim cum — ut taceam de Senecae imitatione — etiam in Coronifero vestigia huius prioris scaenae lateant compluria.

At summa difficultas nunc exsistit, cum quaeratur, ubinam Ovidius Phaedram epistulam scribentem finxerit. Quo pertinet, ut diximus, v 107: „Hic tecum Troezena colam" —

---

[1]) Picturam Pompeianam (Helbig 253 sqq.), qua ad Alexandrinum huius auctorem statuendum nitebatur Kalkmann (p. 123, Arch. Ztg. 1883, p. 133/4; sequitur Ehwald Burs. ann. XXXI, 163) rectius cum Roberto (Hermes XXII, l. l. qui tamen nuperrime ipse maluit de Diana Hippolyti amatrice cogitare. (lect. acad. aest. 1908) de Atalanta Milanioneque intellegimus quam de Phaedra et Hippolyto (cf. p. 208. 2). Senecae autem narratio (387 sqq.) cur non ex ipso Ovidio fluere potuit?

[2]) Seneca, tom. I, 179.

[3]) Attamen Fastorum testimonio (reliquam narrationem ad Eratosthenem recte rettulit Robert Cataster. 35. 68) cave nimis huc nitaris: omittuntur enim versus in nonnullis libris atque ut valde suspicionem moventes a Petero uncis includuntur.

[4]) Euripides restitutus I, 420.

[5]) Nequiquam unus Wecklinus (Phil. Rundschau 1883, p. 162/3) veritus est, ne eandem scaenam Velato, quam Coronifero supposuerit Euripides.

[6]) Hippol. praef.

[7]) de Eur. Hipp. p. 26.

[8]) l. l. p. 69/70.

[9]) Curae mythogr. p. 141.

Suo iure, ut diximus, Velati scaenam Athenis fuisse censuit Leo. Sed cum obstare videatur ei versus Ovidianus „Hic tecum Troezena colam“ — Nasonem „si non alia, tamen hoc alterius Hippolyti memorem“ scripsisse persuadet sibi vir doctissimus. Hic autem Leonem subsequentes subsistere oportet.[2]) Versus enim proximos antecedentes 105/6

„Aequora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon[3])
Et tenuis tellus audit utrumque[4]) mare.“

---

[1]) Birt, ut Phaedram Ovidianam Trozene immorari probaret miram quandam interpretationem protulit (l. l. p. 403 ann. 2), quam unus quantum scio praeter Kalkmannum (p. 26) defendit Ebwald (Burs. ann. 1884, p. 181 sq.), recte reiecit Peters (p. 26). Sed certis argumentis opus est.

[2]) Pauca addo de Senecae vv 1024sqq. merito a Leone (p. 201/2) deletis. Sane „ista omnia loca conspicit qui Trozena relinquens *τὴν εὐθὺς Ἄργους κἀπιδαυρίας ὁδὸν* persequitur, ita ut quod in Euripidis tragoedia aptissimum erat, prorsus ridicule Seneca dixerit de Hippolyto suo, qui non Trozene, sed Athenis proficiscitur. Unde via in Isthmon ducente profectus nemo umquam videt Epidaurum.“ Videre Epidaurum Trozene egredientem statim concedimus. At Euripides ipse hic mirifice locutus sit. An abscondi potuit a fluctu, subito surgente *πέτρα Ἀσκληπιοῦ*, illa remotior in continente, Hippolyto sodalibusque in litore curru vehentibus? Quare si non recordationem quandam prioris fabulae animi poetae haerere malis, eo debes refugere Euripidem quamvis parum convenienter hic sive consulto sive auctoritate fabulae coactum spectare ad Asclepiaeum praeclarissimum. Fama enim erat Aesculapium Hippolyto vitam restituisse Diana ipsa postulante. De Virbii fabulae Romanae ignoto tempore affero Horatianum IV, 7. 25/6 „Infernis neque enim tenebris Dianae pudicum Liberat Hippolytum“ e. q. s. videri data opera contrarium conscriptum esse quasi novae Romam importatae fabulae transformationi.

[3]) De Isthmo Trozenio cf. Mayer, p. 71. At vereor, ne O. poetarum Romanorum more (cf. C. Dilthey, De Callimachi Cydippa, p. 48) ipse geographica certiora de Trozenis situ nescierit.

[4]) Quaestiunculam adiungo de usu rhetorico acute verba numeralia unum alteri opponendi, praesertim cum certiora hinc sciri possint de rebus quibusdam criticis, velut de Statii silv. III, 2. 78 sq.: a) Numerus numero opponitur: ep. III, 38: Ex Agamemnoniis una puella tribus IV, 63 placuit domus una duabus (65. 66) 143: Ut tenuit domus una duos, d. una tenebit. VII, 140 (Aen. IV, 95; Prop. III, 20. 18); IX, 92; X, 118 (Prodita sum causis una puella tribus) (i. e. somno, vento, fide ~ III, 38) XI, 62 (Tib. IV, 4. 19/20; XIV, 121/2

neutiquam potuit Ovidius aliter eloqui quam de Phaedra Athenis[1]) (utique non Troezene) versante: „ich weiſs ein schmales Land, das hört das Rauschen zweier Meere. Dort liegt Trözen. Dort will ich mit dir wohnen und herrschen, mein Hippolytus“ — „hic tecum Troezena colam“. Figura enim usitatissima ἐκφράσεως τόπου[2]) hic quoque agnoscenda est. Ac satis sit

[XV, 19/20; XVI, 70; XVII, 24, 107; XVIII, 126; XX, 43 (fortasse cum Vω legendum „in uno“ (pro „imo“); XXI, 71/2] b) alterum numerum repraesentat notio quaedam numeralis: ep. I, 43; III, 51; IV, 98 Sustinuit positos quaelibet herba duos. 105 Et tenuis tellus audit utrumque mare; V, 82; VIII, 69. Qua duo porrectus (i. e. igitur „schmal“) longe freta distinet Isthmos. IX, 51/3. 93; XI, 126: Urnaque nos habeat quamlibet arta duos! XIII, 77 (Prop. V, 2. 1) 115; XIV, 1. 73. 80 [XV, 49; XVI, 367; XVII, 100/1: XVIII, 213/4; XIX, 142. Seducit terras haec brevis unda duas. XX, 25 ubi frustra haerebant Heins., Sedlm. Dilth. Ehw.] c) uterque numerus omittitur: I, 32 pingit et exiguo Pergama tota mero (a. a. II, 131/2 levi-spisso ∾) IX, 55; XII, 106 gemini distinet (quem v. eiecit Ehw. causis omissis) [XV, 33; XVIII, 125; XIX, 111] Lucani locum addo prooem. 101/2 (de quo cf. etiam Hosius: „de imitatione scriptorum Rom. imprimis Lucani“ 1907, p. 25) „et geminum gracilis mare separat Isthmos“. — Iam vero quid dicis de Stati loco ambiguo III, 2. 78: „iusta queror: fugit ecce vagas ratis acta per undas paulatim minor et longe servantia vincit lumina, tot gracili ligno complexa timores“? — Leonis certe sententia stabilitur („de Stati silvis“ Gott. 1892/3, p. 22), qui contra Heinsium („fragili“ ligno) lectionem tutatus est etsi hac gravissima conservandi ratione omissa. vertendum scil. est: „so viele Sorgen auf so kleinem Kahn.“

[1]) Idem iam putavit Mayer, p. 71.

[2]) Historiam figurae ἐκφράσεως τόπου enarrandam eiusque non modo Ovidianae, sed totius antiquarum litterarum usque ab Homero hic debemus differre. Alterumque habeo quod attingam: quantum enim valeat praecipue in mett. ἐ. τ. ad efficiendum transitum constat. Sed rationem quoque poeticam tali artificio inesse moneo: flumen narrationis altis e montibus stili dramatici rhetoricique repente se effundit in plenum campum dictionis epicae, paene Homericae: loca regionesve fuse describuntur, loquitur poeta παρατακτικῶς, utitur libenter interpositionibus — denique conscribit subito poeta rhetoricus mero Homeri more. Atque lectorum animi, qui hucusque turbabantur et volvebantur poetico flumine vortices efficiente et ubique redundante, nunc pacantur oratione tranquillata simpliciterque nunc composita. Eodem autem tempore, quo acquiescunt lectores, animum magis attendendum esse sentiunt non modo, quod stilus ille admodum abrupte induci solet,

Brück pag 2

innumerorum exemplorum pauca afferre, quae cum eadem ex heroidibus desumpta sint gratissima luce locum ambiguum illustrent:

her. VII, vv 99 sqq.:

Est mihi marmorea sacratus in aede Sychaeus
(Oppositae frondes velleraque alba tegunt)
Hinc ego me sensi noto quater ore citari
Nulla morast: venio e. q. s.

her. V, 61 sqq.:

Adspicit immensum moles nativa profundum
(Mons fuit aequoreis illa resistit aquis)
Hinc ego vela tuae cognovi prima carinae

her. II, 131 sqq.:

Est sinus, adductos modice falcatus in arcus
Ultima praerupta cornua mole rigent
Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas
Mens fuit et, quoniam fallere pergis, erit.

Addas simillima — ex iuvenilibus iterum carminibus Nasonis — rem. am. 549; her. XII, 67 (23); XV (XVI) 53 sqq.; amor. II, 6. 49 sq.; III, l. 1 sqq.; III, 13. 7 sq.: [1]) ubicumque ita loquitur Ovidius

---

sed etiam quod ex mira sedatione repentina statim suspicio movetur poetam aliquid novi nunc iam inducturum esse; artem vides qua Ovidius animos lectorum paraverit ad intellegendum narrationis transitum. — De figura ipsa annotationes interim inspice Leonis (de Stati silvis p. 5 sq.; Nordeni (antike Kunstprosa 285 sq. 894) Heinzii (Verg. ep. Tech. p. 76. 389 sq.) nihil novi aperuit Tolkiehn Wochschrft. f. klass. Phil. 1906, p. 1214.

[1]) Solius Etonensis codicis distichon her. V, 25/6 mihi quidem languidam huius usus imitationem sapit, etsi aliter sentit Winterfeld Gött. gel. Anz. 1899, p. 899 — de vv her. X, 25 sq.: „Mons fuit: apparent frutices in vertice rari: Nunc (vel „Hinc") scopulus raucis pendet adesus aquis" nondum consentiunt viri docti (cf. e. g. Gilbert progr. Misn. 1887, p. 19) — „Hinc" autem (codd. dett.) quod in textum recepit Sedlm. (cf. comm. crit. p. 18) ex reliquarum descriptionum forma incommode huc redundavisse per se liquet: „Nunc" contra, quod alii, velut Palmer, mirifice interpretati sunt, Winterfeld (Schedae criticae in script. et poet. Rom. Berol. 1895, p. 13) tutatus est simili Scheffelii nostratis elocutione collata, utique tenendum est, dummodo primum parenthesin hanc mecum statuas: „Nunc — scopulus raucis pendet adesus aquis — ascendo", deinde contempleris, qua: simillima ratione paulo ante ἔκφρασιν χρόνου conscripserit Ariadna (17 sq.) Luna fuit: specto — nunc huc, nunc illuc curro.

scaena etiam alieni loci vividissime descripta in rem praesentem quasi perducimur (Hinc) — quapropter Trozenis quoque commemorationem recte nunc accipimus de aliena regione idque eo confidentius, quod Phaedra pro totius prioris declamationis ratione de futuris temporibus verba facit, quibus ipsa Trozena colere cupit, nunc ergo Athenis commoratur. Hoc inde denuo comprobari, quod loquitur herois: „Jam nunc est patria gratior illa mea", etiam Petersius (p. 26) Mayerusque (p. 71) recte viderunt, quamvis Ehwaldio iudice dissentiente. Audiasque plura: alio simul Ovidius in descriptione sua spectaverit: locuta erat Phaedra de periculis, quibus ipsa comes venatoris amati deterreri non posset; commemoratis autem „saxis latebrosis" „acerrimoque apro" aequora nunc iam sua sponte primo loco subeunt poetae ad venandum certe haud ita idonea, neque aliter ait Seneca Phaedr. vv 700 sqq.:

„Te vel per ignes, per mare insanum sequar
Rupesque et amnes unda quos torrens rapit."

(cf. etiam 613) atque simillime 233 sqq.:

„Hunc in nivosi collis haerentem iugis
Et aspera agili saxa calcantem pede
Sequi per alta nemora, per montes placet."

241: „Per ipsa maria si fugiet sequar."

cf. Tib. I. 4. 41 sq. 45! Ovid. Amor. II, 16.

Gravissimum vero obstaculum nondum superavimus. Non illud dico quod interdum dubium videri potest, num utraque epistulae persona eodem loco habitet. Hoc enim illo imprimis[1])

---

[1]) Versus 143/4 (immerito a Petersio Shuckburghioque abiudicati ab Ovidio, cf. Mayer p. 71) nihil certi docent de eadem Hippolyti novercaeque huius diei scaena. — Exeuntis vero carminis status, ubi pro perorationis praecepto rhetorico ad preces descendit humillimas herois, his autem non contenta simulat (153) „genibus amati regalia bracchia sese tendere" huc nihil refert propterea, quod in mera rhetorica ostentatione versamur. Quapropter etiam Kalkmann (De Hipp. Eurip. p. 35) audacius hinc quidem Velati scaenam restituit; neque melius nisus est Annaei verbis 666 sqq. Quod enim ait Seneca „en supplex iacet adlapsa genibus regiae proles domus respersa nulla labe et intacta, innocens tibi mutor

disticho diiudicatur, quo frustra amatum colloquio sese adituram fuisse profitetur Phaedra: 7/8: ter tecum conata loqui —" quod ad priorem quemlibet conatum referendum esse nemo Petersio (p. 25) assentietur.[1]) Aliunde nobis inicitur scrupulus de rebus scaenicis isque iustior. Desideravit enim Minoia filia ante versum 109 — Athenis scilicet — Trozenia loca, quippe in quibus feliciter venatorem prosequeretur; abhinc autem ita loquitur, quasi coniuge absente facillume furtum amoris fieri possit — Athenis scilicet. Parum igitur sibi constitit Ovidius — qua in re nequaquam sufficit mentis inconstantiam excusare[2]), utpote quae amoris affectibus adscribenda sit. Immo verum huius labyrinthi exitum equidem non video, nisi Ovidius duas revera partes carminis separatim elaboravit.

Eodem autem pervenimus aliunde: supra enim enucleavimus priorem quandam propriamque declamationem, qua Phaedram tantummodo eo spectantem accepimus, ut Hippolyto persuadeat Veneris cultum Dianaeque studium coniungi et posse et deberi.[3])

Qua sola in declamatione vereor ne Ovidius initio acquieverit[4]),

---

uni" epistulae imitatio eo apertior fit, quod ita pergit Phaedra tragica: 669: „Certa descendi ad preces" — nempe ut pro nova sua ratione tragica molliter inventum poetae elegiaci corrigat 151 sqq.: „pugnare diu nec me submittere culpae Certa fui certi siquid haberet amor. Victa precor" e. q. s. — Quod autem ad „fastus" attinet (150) neque opus est recordatione aut Velati aut Coroniferi (406 cf. Birt mus. Rhen. XXXII, 405) neque debebis „merum ornamentum eroticum" statuere cum Kalkmanno (p. 24. 3). Spectant enim „fastus altaque verba" ad prooemiorum iactationem: „pudor est miscendus amori, non ego nequitia socialia foedera rumpam."

[1]) cf. e. g. Bodenstein, Philolog. Rundschau 1883, p. 619.

[2]) Unde fortasse rectius Galli elegiam vel Vergili eclogam (X) expedire student interpretes.

[3]) Satis spero apparuisse Ovidium Euripidea minime ἐξ *αὐτομάτου* vel ex libidine deprompsisse, transtulisse, confudisse, sed certa suae artis ratione, quamlibet parum prospere, usum esse.

[4]) Hinc simul certiora licet concludere etiam de prooemiorum cumulatorum condicione, — quae vide ne ab Ovidio separatim elaborata, duabus declamationibus conflatis coniuncta sint. Ac primum insinuatio 17—34 tantummodo vel praecipue praeludit posteriori illiciti amoris parti, epistolaria autem exordia magis pertinent (priora!) ad prioris dictionis castiorem statum.

praesertim qua molestiam illam tragici ponderis, quam apud Euripidem aegre tulimus in novo alienoque novercalis amoris nodo, quam aptissime si non vitare potuerit, certe obscurare.[1] — Nunc novam suasoriam quasi de integro instituere poetam apparebit, qua primum insolentissimis insimulationibus[2]) invehitur Phaedra in Theseum coniugem. — Novam profecto regionem introimus a disticho 109/110:

„tempore abest — aberitque diu — Neptunius heros:
illum Pirithoi detinet ora sui“,

novamque obtulit poeta Sulmonensis aerumnam interpretibus.

Heros in Coronifero abest ut *θεωρός*; in Velato[3]) Thesea ab inferis rediisse pridem intellexerunt viri docti[4]), coll. Sen. 91 sq. Qui tamen vehementer ad hunc diem dissentiunt de Ovidi disticho, quid sibi velit de Thesei itinere. Plerisque enim placuit Nasonem de Theseo apud inferos versante loqui,[5]) aliis, velut Birtio (405 sq.) Ehwaldioque (Burs. ann. 85) Thesea cum amico Hippodamiae nuptiis interesse. Nec defuerunt, qui, ut elocutionis ambiguitatem tollerent, codicibus diffidendum esse iudicarent, unde Maximil. Mayer nimis audacter mutavit „ora“ in „umbra“ (p. 68/9). Ac memet ipsum initio a coniecturis salutem petere voluisse fateor. Quid? Novam amoris suasoriam inchoaturus primum profert Ovidius distichon 109/110, quo revera nihil ipsius obiurgationis[6]) contineri voluit, immo eo tantummodo

---

[1]) Quamquam haud ita feliciter haec quoque hic illic severiori proposito irrepsit v. s.

[2]) Etsi frustra quaeris obiurgationes eiusmodi Velato debitas in Coronifero, exstat tamen locus, ubi periculum aderat Euripidi, ne iterum Phaedram *παρανομίας* mariti vituperantem fingeret: 320 sqq. *Τρ: Θησεύς τιν' ἡμάρτηκεν εἰς σ' ἁμαρτίαν;* Sed callide vitavit poeta periculum: *Φ: μὴ δρῶσ' ἔγωγ' ἐκεῖνον ὀφθείην κακῶς.*

[3]) De Phaedra Sophoclea v. s.

[4]) De vasis Apuli pictura fortasse ad Sophocleam fabulam, quamvis parum popularem, referenda v. s.

[5]) Leo II, 179; Wilamowitz Analecta Eurip. 209; Kalkm. de Eur. Hipp., p. 36; Mayer, p. 67.

[6]) Hac certe immature statuta nitebantur viri docti, qui Nasonem Theseum apud inferos versantem finxisse voluerunt — rapiendae scil. Proserpinae causa.

spectat herois, ut Thesea optime („tempore“) abesse laudet facillumeque amoris furtum fieri Hippolyto persuadeat. Sin autem nihil initio agitur de *παρανομίαις* coniugi obiciendis, quo demum ab absentiae cogitatione altero passu aggreditur poeta, sequitur, ut nihil heroidos iam tum interfuerit accuratius significare, ubi tandem terrarum vel quo consilio illic versaretur heros: satis erat suadenti hunc abesse satisque erat insimulationem incipienti hunc apud amicum esse. Ac profecto nihil aliud hic Ovidium egisse versus testimonio sunt qui sequuntur, quibus revera iam ad iniurias Thesei et coniugis et patris enumerandas procedit Phaedra. Nam quod ait vv 111/112:

„Praeposuit Theseus — nisi si manifesta negamus —
Pirithoum Phaedrae Pirithoumque tibi“

aliter certe elocuta esset, nisi nimiam Pirithoi amicitiam, quae iamdudum in proverbium abierat (cf. parenthesin et permulta Tristium exempla) generaliter accusare satis habuisset.

Annectuntur igitur ex Velato Thesei *παρανομίαι*[1]) (111 bis 128)[2]), quibus vehementer vituperatis noverca non modo privignum ad amorem suum perducere, sed etiam Euripideo more (v. s.) incesti amoris opprobrium qua licet deminuere conatur. Haec autem dubitatio, quo certius removeatur in adulescentis pudicissimi pectore, propriam adiungit Ovidius excusationem[3]) (129 sqq.) valde sophistarum officinam sapientem. Quae qua ratione[4]) conscripta sit, optime observabitur ex versus vexa-

---

[1]) Antiopae a Theseo interfectae fabula, cuius soli Ovidius Seneca Hyginus (omnes ab eodem auctore pendentes) testes exstant, nulla verae historiae fide digna est; legitur enim apud Ovidium mediis in *παρανομίαις*, utpote quae Plutarcho auctore nonnisi ut *εὐρησιλογίαι* Theseo obiectae sunt a coniuge (in Velato scil. Euripidea).

[2]) Mirifica versus 123 elocutio: „addidit et fratres ex me tibi“ haud scio an fluxerit ex Medeae Euripideae recordatione: cf. 877: *γήμας τύραννον καὶ κασιγνήτους τέκνοις ἐμοῖς φυτεύων*, 562/3: *παῖδας δὲ θρέψαιμ’ ἀξίως δόμων ἐμῶν σπείρας τ’ ἀδελφοὺς τοῖσιν ἐκ σέθεν τέκνοις*. —

[3]) Quas particulas etiam similium sonorum vinculo coniunxit O.: 125. 129. 131. 135: nocitura. coitura. moritura. iunctura.

[4]) Hanc novam argumentationem graviter et exordio et exitu instituit ornavitque Phaedra his: 129: Nec quia privigno videar coitura noverca 140: Dicar privigno fida noverca meo. Unde id simul apparet vv 141 sqq. huc accessisse elegiacae amplificationis instar.

tissimi 137 natura. Quod enim omnes praebent codices P G E ω (+ Planud.): „Nec labor est celare licet pete munus ab illa“ ullo sensu carere videbatur interpretibus.[1]) Ac ne Ehwaldius quidem medelam praebuit, interpungens ita:

„Nec labor est celare; licet; pete munus! ab illa
Cognato poterit nomine culpa tegi“,

frustra apposita hac interpretatione (Burs. annal. XXXI, 181): „Das Verheimlichen (der Liebe) macht keine Mühe. Denn sie ist erlaubt. Verlange nur eine Huld (von mir). Jene unsere nahe Beziehung als Stiefmutter und Stiefsohn bewirkt, dafs unser Verhältnis sich unter dem Namen der Verwandtschaft verbergen kann.“ (!) Plus profecisse sensui hic delitescenti Palmerum primo quidem obtutu tibi persuadeas, cum coniecit:

„Nec labor est celare — licet peccemus — amorem“,

quod ut admittitur a Sedlmayero, ita probatum est etiam Petersio (p. 27). Verum tamen aliter iudicandum erit et altius recedendum: non tam quid expositura sit Phaedra nostra interest, quam quid exposuerit. Exposuit autem versibus qui praecedunt, ne Hippolytus privignus rustica adductus pietate lectum novercae fugeret, a Jove ipso pium statutum esse quodcumque iuvaret.[2]) Pergit nunc continuo paene necessario argumentatione plane rhetorica (v. i.) continuata: „etiamsi[3]) in amore nostro quicquam sceleris conspiceretur hominibus, tamen nullum esset nobis periculum, cum cognato nomine culpam amoris nostri facile tegere possimus.“ Quae cum ita sint, verbum „Nec“ v 137 spectare ad illud alterum v 129 intellegis, idque praecipue propter argumentationem rhetoricam, qua hic quoque utitur poeta; itaque secundo loco sensus quidem utique postuletur, quem Palmer

---

[1]) Palmeri iudicium affero: (ed.) „pete munus ab illa“ verba nemo intellexit neque (!) „ut credo, intelleget. Si quis pro sanis habeat magna iniuria Ovidium afficiet, qui ista verba ineptissima nullus scripsit.“

[2]) Sine ulla iusta causa Damsté (Mnemosyne N. S. XXXIII. 1905, p. 15) versus 131/2 (de Saturnii aevi rusticitate) interpolatori tribuit.

[3]) Interpretationem huius loci ipse protulit poeta Mett. IX, 557 (Byblidos), causis persimilibus allatis: tamen ut sit causa timendi dulci fraterno sub nomine furta tegemus: cf. Ehw. ann.

coniectura sua versui intulit. Quod tamen non concedimus, nisi ea condicione, ut summam sententiam versus ambigui positam esse arbitremur in vocabulis: „licet peccemus“. Nihilominus valde Palmero diffidendum erit. Mature poeta ipse sibi viam paravit ad illam alteram sententiae partem. Nam cum de nuptiis dixit quibus Juppiter cum sorore coniungeretur, quamquam primo nihil aliud demonstrare voluit, nisi ab Jove ipso pium et iucundum commixta esse, tamen hic iam sibi temperare nequiit, quin limis oculis spectaret ad illa obscoeniora quae dicturus est usque ab v 137, ita scil., ut unum distichon 133/4 — haud fortuito in medio totius regionis collocatum — fundamento sit duabus sententiis: et quae praecedunt et quae sequuntur. Sed graviora audias: quattuor enim huius suasoriae argumenta aptissime proferuntur haec:

1. Theseus abest datque facultatem nobis amandi („tempore“).
2. A quo perfido multae iniuriae nostrum utrique allatae sunt.
3. Juppiter esse pium statuit quodcumque iuvaret.
4. Nihilominus si quid criminis insit nostro amori, facile culpa tegi potest cognato nomine.

Sed tamen uno loco argumentatio si non turbari, tamen mirifice accumulari videtur, vv 135/6.

„Illa coit firma generis iunctura catena
Imposuit nodos cui Venus ipsa suos.“

Haec enim cogitatio [1]) media in ea argumentatione, qua Jovem novam pietatem statuisse Phaedra callide pronuntiat, certe novi insiticiique argumenti munere fungitur huius: cognatorum amorem a Venere confirmandam esse. — Frustra de transponendis versibus cogitabis, frustra aliam medelam circumspicias atque Ovidium hic ut solebat ex ubertate sua elegiaca seductum esse. Quid? Sequitur distichon illud ambiguum: „Nec labor est celare“ —

[1]) Quam nescio quo errore lapsus Wilamowitz Analecta Eurip. p. 210 de Jovis Venerisque coitu Amorisque natalibus accepit. cf. Birt. mus. Rhen. XXXII, 405/6.

culpam scilicet, quae notio in pentametro quidem exstat. Sed culpa ea non tegenda est, quam nullam esse poeta modo pluribus exposuit. Desideramus igitur etiamnunc notionem quandam concessivam. Attamen quoniam poetam iam in versibus 135/6 mire a proposito aberrantem novumque argumentum, etsi non admodum alienum, inserentem deprehendimus, certius fit in suprema argumentationis parte (ab v 137) duas nunc sententias conflatas esse: alteram: „culpam si qua tamen sit in amore cognatorum, cognato nomine facile celari“, alteram: „pete munus (scil. vinculi) nostrae iuncturae a Venere.“ [1]) Quo factum est, ut poeta sententiae concessivae praeter vim quae sit in verbo „celare“ nihil concesserit nisi pentametrum vel potius pentametri notionem culpae huc arcessendam [2]), duabus illis sententiis immature inter se insertis.

Accedit alterum: eodem enim pervenisse — ut quod praebent codices servaret — alio itinere Leonem [3]) postea vidi. Qui ut doceat in verbis „Nec labor est celare licet“ figuram *ἀπὸ κοινοῦ* haudquaquam insolitam deprehendi ita disputat: „sentiendum — est poetam non minus dicere voluisse „nec labor est celare“ quam „celare licet“ et infinitivo in medio posito utramque sententiam pariter necessariam complexum esse.“

Sequitur, ut coniecturae illi Palmerianae hinc quoque multum probabilitatis adimatur verbisque restantibus „pete munus“ e. q. s. haud ita facile alia interpretandi ratio exsistat nisi qua supra nisi sumus. Itaque confidenter nunc iam omittimus coniecturas, quibus vexaverunt viri docti versum, atque sufficiat nomina attulisse auctorum Heinsii, Bentlei, Madvigii, Kraffertii, Ellisii, Birtii, Zingerlei. Quorum agmini nuperrime accessit Damsté (Mnemosyne XXXIII. 1905, p. 15/6).

Postremo de eiusdem versus integritate proficiscimur a tertia planeque nova ratiocinatione, quam propterea addere non supersedeo, quod certiora inde colligantur ut de structura rationeque totius carminis, ita de arte qua duas illas partes, quas etsi

---

[1]) En quam longe a vero absit Sedlmayer (comm. crit. p. 9/10), cum desideravit connexum inter 135/6 distichon et 137/8.

[2]) cf. etiam v 145: „laudemque merebere culpa“.

[3]) Analecta Plautina I, p. 30. (progr. Gott. 1896.)

separatim compositas, nihilominus inter se continuit supplevit que Ovidius.[1])

Heroides enim etsi omnibus recte rhetoricum poetam indicant, tamen, quod pertinet ad doctrinam ipsam rhetoricam hic delitescentem, parum adhuc pervestigatae sunt, nisi quod Ehwald[2]) prudenter[3]) iniit talem quaestionem de una totius libri controversia quae exstat in Hypermestrae epistula (XIV). Phaedram autem suasoriam mittere manifestum est (v. s.) notumque Seneca magistro teste[4]) Nasonem ludi rhetorici alumnum lubentissime suasoriis componendis declamandisque operam navavisse: mirum mehercle, nisi in poetica quoque suasoria ipsius disciplinae rhetorum vestigia indagari possint.

Sunt autem artificia generis deliberativi — quod rhetorici Graecorum Latinorumque scriptores docent — *τελικὰ κεφάλαια*[5]) quae vocantur quaeque Priscianus vertit: capitula finalia. Quorum graviora haec affero: *δίκαιον, συμφέρον, (χρήσιμον) καλόν, ἡδύ, ῥάδιον, δυνατόν, ἀναγκαῖον*[6]) vel numero a Romanis amplificato: legitimum, iustum, aequum, conveniens, honestum,

---

[1]) Hisce potissimum in rebus facillume deprehendes imitatorem in Paridos epistula. (XVI) Qui etsi suasoriae artificia rhetorica ab Ovidio usurpata non praetervidit, venustatem tamen interioremque compositionis artem suam facere nequiit. Quod alibi accuratius demonstrabimus. Obiter de hoc Bilger Diss. Marp. 1888: „de Ovidi heroidum appendice quaestiones. Paridis et Helenae epp. sintne Ovidi quaeritur."

[2]) Exegetischer Commentar zur 14. Heroide Gothae 1900 (progr.).

[3]) Qui valde tamen peccavit (cf. etiam ed. Merk.-Ehw. praef. p. VI) de reliquis heroidum epistulis: has omnes veras suasorias esse. (rectius Castiglioni 1907 (l. l.) p. 58). Quod supra iam refutavimus, cum de primis heroidum nudis querendi declamationibus verba fecimus, — accedit nunc doctrinae suasoriarum disquisitio, qualem frustra in plerisque ceteris epistulis institues, nisi quod interdum vocabula huius doctrinae residua dispersa inveniri possunt. Quod autem similiter olim erraverat Leo de Phoenissarum Annaeanarum fragmentis (Seneca, tom. I, 77. 82), pridem ipse palinodiam cecinit mus. Rhen. LII (1897), p. 518). Gött. gel. Anz. 1903, p. 6 ann. 2.

[4]) Controv. II, 2. 12: „declamabat autem Naso raro controversias et non nisi ethicas, libentius dicebat suasorias."

[5]) Testimonia collegit Volkmann „Rhetorik d. Griechen u. Römer"² p. 294 sqq.

[6]) Dissuadenti scil. argumentandum e contrario: *βλαβερόν κτλ.*

utile, religiosum, pium, civile, possibile, facile, necessarium, non periculosum. His ita praemonitis quid censes de Ovidio?

Primum[1]) suadentem fingit Phaedram Hippolyto, ut duritiam silvis in iugosis deponat (v 85). Minime enim esse utile tantummodo saeva Dianae studia persequi, vv 87 sqq.:

„Quid iuvat incinctae studia exercere Dianae
Et Veneri numeros eripuisse suos?
Quod caret alterna requie durabile non est:
Haec reparat vires fessaque membra novat.
Arcus — et arma tuae tibi sunt imitanda Dianae —
Si numquam cesses tendere, mollis erit!“

Deinde Cephali Adonidis Meleagri exemplis — ut taceam de Phaedra ipsa — allatis utrumque studium — Dianae Venerisque — coniungi posse monetur iuvenis atque concluditur haec prior suadendi pars vv 101—104 in quibus sententia primaria ultro acute iteratur: 102:

„Si Venerem tollas, rustica silva tua est.“

Accedunt argumentationi de utilitate et possibilitate institutae verba satis aperta de idoneo tempore 109/110 (v. s.), quibus clanculum poeta transit ad demonstrandum aeque et convenienter Hippolytum cum noverca coiturum esse, quandoquidem Theseus coniugis munera non modo minime praestiterit, sed etiam utrique — et maritae et filio — turpes iniurias intulerit: vv 111—124, sequuntur vv 125—128 conclusionis instar:

„I nunc, sic meriti lectum reverere parentis,
Quem fugit et factis abdicat ille suis“.

Iam vero annectuntur disticha de nova Jovis pietate, quibus auctor ad probandum procedit amorem novercae esse non solum iustum atque honestum (*δίκαιον, πρέπον, ἔνδοξον, ἔθος,*

[1]) Non mirum est, quod eiusmodi colores etiam in prooemia epistulae irrepserunt:

v 3/4: quid epistula lecta nocebit? Te quoque in hac aliquid quod iuvet esse potest. (Unde iterum refutatur Peters (v. s.), qui non solum usum rhetoricum nesciit, sed etiam Ovidium hic capitulorum finalium oppositione paene exultare.) v 9. Qua licet (possibile est) miscendus pudor amori (necessarium). 10. puduit (honestum). 11. Quidquid Amor iussit non est contemnere tutum.

ὅσιον, νόμιμον, δίκαιον!), sed etiam facilem possibilemque. Qualia continentur versibus 129—146, conclusione hac instructis: 145/6:

„Tutus eris mecum laudemque merebere culpa
Tu licet in lecto conspiciare meo." —

Unde primum quid colligis de versus 137 priore parte? agnoscis certe *τόπον* illum rhetoricum: *οὐ χαλεπόν, ῥᾴδιόν ἐστι* > facile est > nec labor est (celare), quocum hic alter coniungitur *δυνατόν ἐστι* > possibile est > licet.[1]) Vides igitur etiam hinc Palmerianae coniecturae etsi ingeniose inventae iam nullam fidem habendam esse, cum rhetorum artis vocabula poetae valde hic institerint. Unde id simul satis apparuerit verum nos vidisse primum de disticho 135/6 vero tenori elegiace interposito, deinde de duabus epistulae partibus utique seiungendis: duas revera suasorias conscripsit Ovidius easque eisdem quidem artificiis adhibitis, alienis tamen qua licuit condicionibus suppositis. Quibus ex contaminatis ac fere nonnisi hac arte rhetorica inter se excipientibus graviores quas ostendimus offensiones et natae sunt et explicandae.[2]) —

---

[1]) Languidius loquitur auctor epistulae XVI, 237: qua licet et possum (luctor) celare (furorem).

[2]) De distichis 141—144, de peroratione rhetorica Kalkmannique praematura fontium indagatione v. s., ubi simul Palmerum refutaverimus frustra distichon 151/2 in suspicionem vocantem. Idem nunc putandum est de accusationibus, quibus Shuckburghius (ed.) Palmerusque — praeivit auctor Etonensis, cum haud illepide, temerarie tamen coniecit „sub amore priorum" — invexerunt in vv 161/2: cf. D. H. Naylor (Classical Review 1907, p. 44) et quibus Burmannus nisus semovit vv 163—166, Palmerus 163/4 (cf. cap. I, p. 168. 2) Postremo Damstei dubitatio (Mnemos. N. S. XXXIII. 1905, p. 17) num ipse Ovidius Minoi nomen scripserit (157) merae est morositatis. —

Addendum: Quod supra haud semel — contra Leonem, Kalkmannum, alios, — monuimus: ipsam Nasonis epistulam Annaeo non modo notam fuisse, sed etiam adhibitam nuperrime docuit etiam H. L. Cleasby: Harvard Studies 1907 (XVIII), p. 45 ann. 2, nisi quod novis quae attulit exemplis certiora non probantur. Quod contra eum disseruit A. Cima Athene e Roma XI, 109/12, nequii hic inspicere. Sed magis ad Medeam pertinet dissensio.

Caput III.

In Penelopae carmine (I) sicut in Briseidos (III) Nasonem solius Homeri[1]) vestigia pressisse, quod quidem pertinet ad res, nemo est, cui primo iam obtutu non constet — cuius necessitudinis exempla suo studio congessit Tolkiehn[2]) et in dissertatione quam habuit de heroidibus[3]) et in libro postea in lucem edito: „Homer und die römische Poesie“ (1900) p. 142 sqq. Neque omisit vir doctus[4]) verba facere de factorum discriminibus, quae aperta intersunt inter Homeri Nasonisque argumenta;[5])

---

1) Homeri auctoritatem ubique deprehendis in Ovidii carminibus; qui quanti Maeonidem aestimaverit, ultro ipse profitetur, cf. e. g. Am. III, 9. 25/9; I, 15. 9 al.

2) J. Nesbitt Anderson, On the sources of O's heroides (Diss. Berol. 1896) p. 10—33 nihil novi aperuit (cf. cap. I).

3) Quaestionum ad heroides Ovidianas spectantium capp. VII, Diss. Regiom. 1888, p 57—64. Conferre iuberis quod ad argumentum attinet haec: vv 7 sq. (+ 19 sq) ∼ *τ* 511—517, *υ* 83 sq.; 10 ∼ *α* 357, *β* 85 sq., *φ* 350; 17 sq. ∼ *Πατρόκλεια*, *Π* 40 sq., *γ* 120 sq.; 19 sq. ∼ *E* 627 sqq.; 25 ∼ *α* 11 sq.; 28 ∼ *νύμφαι* Homeri (= mulieres maritae); 34 ∼ *N* 368, *Φ* 526, 36 ∼ *χ* 395, *Ω* 1 sq.; 39—46 ∼ *κ*, 46 Ismariis ∼ *ι* 40 + 198; 63—66 ∼ *γ* + *δ* [59—62 < *ξ* 122 sqq., *ϱ* 507 sq (+ *τ* 100 sq.) cf. Ehwald, Berl. philol. Wochenschrift 1889, p. 927], 75 ∼ *ε*; — 81 ∼ *ο* 16 sq. [*α* 329, *λ* 446, *φ* 321]. — 87 sq. ∼ *π* 122 sq. (+ *ξ* 92); — 91 sq. ∼ *χ* 240 sq.; 94 ∼ *χ* 92; — 96 sq. ∼ *σ*; praecipue v 25 + 333; *ϱ* 212 sq., 173 sq.; — 98 sq. ∼ *ω* 233; — 99 ∼ *δ* 842 + *ο* (101 sq. ∼ *ω* 295, *λ* 426); 103 sq. ∼ *υ* 185 + *χ*, *α* 434 sq., e. q. s. (+ *ξ* + *ο*). — Mirum affero (cf. etiam Knaack, Deutsche Litztg. 1889, p. 306/7), quod ex epp. I et III comparatis concludit Tolkiehn: „auctores eandem viam in Homeri carminibus tractandis secutos esse, auctorem autem ep. III rarius ab exemplari graeco recedere, ergo ep. III consummatiorem esse atque digniorem Ovidio quam primam.“ Prudentiores Homericarum epistularum quaestiones attigit Norden Gött. gel. Anz. 1902, p. 159/160. Vide infra.

4) Idque praecipue Loersio editore (1829 sq.) duce (v. tamen Zeitschrift f. Altersw. 1837, p. 953 sq.). Praegressus est etiam Jurenka: „Beiträge z. Kritik d. ovid. Her.“ Vindob. 1881, p. 30—32. Nec non Lehrsius praef. Hor. CCXXV sq.

5) Apud Ovidium Homero dissentiente e. g. Antilochus ab Hectore victus dicitur (v 15), Telemachus a matre ipsa Pylum mittitur (vv 37 + 63, non obstat v 100); Medon dirus appellatur (91), Telemachus puer (98. 107. 111); insidiae procorum Telemacho proficiscenti parantur (99 sq.); proci Ithacenses omittuntur (87 sq.), Ulixes ab uno adiutus tot mactasse viros dicitur (v 43): Minora quaedam addidit Anderson l. l. p. 33.

quorum plerisque e Latini carminis indole rationem reddere debemus.

Restant[1]) duae quaestiones gravissimae: altera, quo modo animoque Ovidius „epistulam" suam conceperit, altera qua arte et ratione poeta argumentum epicum in carmen suum et elegiacum et declamatorium transvorterit[2]) —

Ac primum refert quam brevissime graviora tentamina critica enumerare, quibus exercuerunt viri docti hanc epistulam: Secluserunt:[3])

vv 37. 38 Riese (ed. praef. XIII) Sedlmayer (comm. crit. p. 11); 37—40 Bentley; Peters (l. l. p. 32 sq.), 39—40 Damsté (Mnemosyne XXXIII. 1905, p. 1 sq.). 47. 48 Sedlmayer (l. l. p. 11/2). 83/84 Bentley. 85/6 Sedlmayer (l. l. p. 12). 99/100 Bentley. 103. 104 Jurenka (l. l. p. 27, cf. etiam Zeitschr. f. östr. Gymnas. XXXIV. 1883, p. 958), 107. 108 Schenkl (Philologus XXXVI. 1877, p. 175). Sedlmayer (ed.) 111—114 Bentley.[4]) 111. 112 Palmer (ed. Ox. 1898).

Transposuerunt versus hoc ordine:

vv 22. 41—46. 23—36. 47 sq.; postea 87—98. 103—106. 109. 110. 107. 108. 102. 111—116 Peters (l. l. p. 21 et 33).

vv 96. 103 Ehwald (Burs. annal. XXXI [1882], II, p. 180 et ed.).

vv 98. 107. 108 Birt (Gött. gel. Anz. 1882, p. 848, ceterum Wiedeburgio praegresso).

vv 106. 109: Riese (ed.) item Schenkl l. l.

vv 108. 103. 104 D. Heinsius (ed.).

vv 110. 107. 108: Bentley. — vv 116. 81—84, pro coniectura tantum, Sedlmayer (l. l. p. 12). Quibus praegressis Ehwald

---

[1]) Jurenka, cuius libellus (v. s.) mihi opusculo iam perfecto in manus venit, etsi apertiora quidem de Penelopae carmine non praeteriit, in rebus tamen gravioribus interioribusque parum prospere poetae vestigia presserit. v. i.

[2]) Ipsas eius modi quaestiones desiderant horum dierum viri docti: cf. Ehwald: Berl. phil. Wochschr. 1896, p. 1515. Burs. ann. 1902, p. 195. — Leo: Gött. gel. Anz. 1901, p. 323.

[3]) Lehrsium (l. l.) hic praetereo (v. i.), qui totam epistalam ab Ovidio abiudicare maluit.

[4]) Postea Bentleius vv 113/114 retinere maluit, cf. Hedicke, 1905, „Ovidius Bentleianus", p. 3. — Palmer 511.

(Burs. ann. XXXI. p. 180 et ed. Merkel. 1903) hanc versuum seriem constituit: 96. 103. 104. 97. 98. 107. 108. 99—102. 105. 106. 109—116.[1])

Tempus igitur est et operae pretium quaerere quid tandem qualeque Ovidii sit.

Ad incipiendum autem sua sponte offertur carminis initium eiusque v 2:

„Nil mihi rescribas,[2]) at tamen ipse veni,"

quippe in quo valde haerebant viri docti quod oppositionem, quam poeta efficere voluit,[3]) parum recte intellexerunt. Neque enim „at tamen„ vocabulis tam pentametri sententiae inter se opponuntur: „nolo te scribere — ipse veni", quam enuntiata hexametri et pentametri,[4]) — id quod saepissime invenitur in eo poeta, qui ut disticha sua acueret qualitercumque studuit: Epistulam tibi equidem mitto, attamen non ea mente, ut mihi rescribas, sed ipse tandem revertaris![5]) Unde id simul consequimur, ut nunc demum optime „attamen" illud conclamatissimum in medio totius sententiae positum esse atque utrique enuntiato servire eluceat.[6]) Quae cum ita sint, tantum abest, ut corruptelam hic putandam esse concedam, ut versum secundum ita — per detractionem — expediendum esse proponam: „attamen nil mihi [(„mihi" ἀπὸ κοινοῦ), scil. „curae est" vel talequid] [ut] rescribas: [sed] ipse

---

[1]) Retinere conati sunt ordinem, qualem nunc habemus exeuntis epistulae, anonymus quidam, Ztschr. f. Altert. 1837, p. 961, atque nuperrime Damsteius (l. l.), quos tamen pro re ipsa operam perdidisse puto. Vide infra.

[2]) Sic distinctum legimus versum in edd. Sedlm. et Ehwald.; in comm. crit. (p. 5) aliter iudicavit Sedlm. („tu [Bentley] tamen — ipse veni") obiter censuit Riese, Lit. Zentralbl. 1881, 535.

[3]) Coniecerunt viri docti: ut tamen, tu tamen, ah tamen, sic tamen, sed tamen (sed tamen exstat etiam in *E*, quod sicut alia valde correctionem docti scribae redolet).

[4]) Eodem pertinent coniecturae (Gronovii) „ut tamen", „tu tamen". (Bentl.)

[5]) Imitatione leonina saec XII (cf. mus. Rhen. XXXIV, p. 474 sq.: „Deidamiae ad Achillem epistula"): „Mittere vel noli verba, set ipse veni (sive venire nequis vel scribere ne pigriteris)" nihil novi lucrabere.

[6]) Eleganter in una notione „at tamen" duae res continentur: desiderium et oppositio.

veni[as]." (Nil mihi rescribas attamen:[1]) ipse veni.) Atque idem sensit Sabinus, qui etiamsi non verus Ovidi aequalis familiarisque (am. II, 18, e Ponto IV, 16. 13) fuerit — quod tamen post Winterfeldii nuntium[2]) de integro disquirendum erit[3]) —, tamen utique imitatoris eruditissimi laude dignus est (v. i.). Qui in epistula sua ita Ulissem respondentem facit Penelopae: v 11:

„Nil tibi rescribam curas properemque venire" —

ubi mihi quidem exploratum est „nil" cum „curas" (vel „curae est")[4]) coniungi, non cum „rescribam". Solet autem Sabinus verba ipsa paene Ovidiana reddere.[5]) — Deinde mirum est, quod viri docti numquam in ipsorum interpretationibus eo offensi sunt, quod Ovidius locutus sit: „nil mihi rescribas" quod in enuntiato finali etsi concedi potest, tamen insolitum est. Porro „cupis ut nil rescribam" quod interpretatur Loersius (ad Sab. v 11), male a Penelopae consilio abhorret, quae nisi redeat coniunx, certe nuntium quidem desideret, cum tabescat desiderio.

Eodem aliae spectant res: primum quod praebet Douzae codex „non" — unde ellipsin quam voluimus a librario quidem haud indocto putatam esse apparet, deinde quod legimus in versu ambiguo bis a M. Victorino allato „attinet" (pro „attamen", ∽

---

[1]) Sic etiam interpunxerat Heinsius, quod tamen non admisit Sedlmayer (l. l.).

[2]) „Schedae criticae in scriptores et poetas Romanos", Berol. 1895, p. 18—21.

[3]) cf. Tolkiehn „Homer" p. 149. Sabinianas quaestiones quibus quidem ad epistulas pertinentibus tum operam navaverint vv. dd. enarravit Joanne Christ. Jahnio duce Loersius in ed. tom. II, prooem., p. 573. 589. — Tacebant postea vv. dd. nisi quod Winterfeldius l. l., postquam O. Jahn, Zeitschr. f. Altert. 1837, 631 (cf. etiam Glaeser mus. Rhen. N. S. I. 1842, 437 sqq.) trium epistularum auctorem medii aevi fuisse iussit, meliorem auctoritatem Sabino restitui posse suspicatus est.

[4]) Quod correxit „curae est" Nic. Heinsius, ipse falso interpretatus est: „mihi c. e."

[5]) cf. v 5: arguis ut lentum v 11 v. s., vv 13/14: Non me Troia tenet Graiis odiosa puellis. Jam cinis et tantum flebile Troia solum 15/16: iacent Hector e. q. s. Et quicumque tui causa timoris erat 17/8 Rhesus 27 sq. Erepti pretium corporis arma tuli 17/9. Evasi-Tutus! (Ov. 44 v. i.) 31 sq. perstat amor! Circe, Calypso: 41 Te tamen (!!) e. q. s. 45/6/7. 53—6. 57 melius; 65 retulit illa d. 77. 81. Ah mihi quid prodest! 91. pervagus. 95. Et terra et pelago. 99. versae post funera Troiae. 101. omnibus unus. nocens. 109 usque ad finem! 115. 117. 118.

curo!) — unde eandem ellipsin facilluma mutatione suppleturum fuisse virum grammaticum cognoscitur.[1])

Ut autem videas, quomodo his neglectis sese torserint viri docti, recentiorum unum Nicolaum Barbu[2]) affero, praesertim cum sententiam eius suam fecerit Ehwald.[3]) Ac pronuntiavit ille, ut de Vriesio[4]) probatam lectionem (Gronovii Palmerique)[5]) „ut tamen“ reiceret haec: „Sui enim moderatione utitur Penelope in rogando: nihil, inquit, mihi rescribas, non tam multum mihi tribuo, ut responsum a te expetere possim, at veni tamen domum, ut tuas opes procorum multorum aviditati eripias (v 90); nam Laertes senex, Telemachus puer, ego femina sumus imbelles (v 97 q.).“ (! v. i.)

Versibus ineuntibus niti nunc in animo est ad certiora statuenda de forma carminis epistolari.

Monuimus capp. I, II verum libri fundamentum fuisse et primordium nudas declamationes heroidum secum ipsis[6]) de amato (adque amatum) querentium, postea autem, fortasse post Phaedram nec non sine Properti Arethusae exemplo, formam epistolarem ab Ovidio arreptam esse atque inculcatam, unius formae causa libri in lucem proditari, nonnullis etiam priorum dictionum aptioribus, eamque magna vi interdum allata. Nunc iam quid dicis de Penelopa? Difficilior est condicio ac longiore opus est itinere.

---

[1]) In versu 1 Palmerus Damsteiusque scripserunt „haec“, alii „hanc“ (codd.) acceperunt „epistulam“, alii „salutem“, cf. Sedlmayer, Wiener Studien 1881, p. 50. At recte monuit Birt, Gött. gel. Anz. 1882, p. 849, inscriptiones apud antiquos ita in usum carminis nusquam vocari supplevitque (coll. v 62) „chartam“. Sed praeterquam quod haud scio an Ov. consulto ambigue dixerit [supplendum et „dictionem“ et „epistulam“ (v. s.)] Birtius, non solus, omnino praeteriit in Sapphus epistula ab Ov. abiudicanda revera admitti quod ubique fastiditur. Ubi insuper longiora verba de inscriptione fiunt.

[2]) Diss. Berolin 1887: „De Sapphus epistula“, p. 31.

[3]) In ed. Merkel. (Teubn.) 1903, praef., p. XIV.

[4]) Ed. crit. et exeg. Sapphus epistulae. Lugd. Bat. 1885, p. 76.

[5]) In Palmeri ed. Oxon. (1898) legitur „tu tamen“; „ut tamen“ etiam a Lennepio admissum erat.

[6]) Sero in manus venit Leonis libellus qui inscribitur „Der Monolog im Drama“ (Gott. 1908), ubi fidissimus subito exstitit dux in soliloquiis scaenicis huc referendis, etsi ipse (ut aliter sentit de heroidibus (cf. Gött. gel. Anz· 1901, p. 323) de tali quaestione tacuit.

Ac primum satis habeo suspicionem aliquam tibi movere. Volo enim huc pertinere praecepta quaedam, quibus Ovidius postea in Arte sua, I. 437 sq. enititur, ut amantibus quomodo tabellis amatoriis utantur bene fuseque suadeat, cum alia, tum haec pronuntians: 479/80

„Legerit et nolit rescribere, cogere noli,
Tu modo blanditias fac legat usque tuas“ —

Cui dicto iam hic ut gravissimum annecto quod Ovidius haud fortuito, praecipue comparanti Artis locum, dixit in epistulis e Ponto missis IV, 16 de Sabino amico epistularum responsoriarum auctore, v 13:

„Et qui Penelopae rescribere iussit Ulissem.“ [1])

Quod dictum utique aliquantum miri habet, nisi nostro iure necessitudinem artissimam intercedere voluimus inter epistulae initium atque Artis praeceptum.[2]) Hoc tamen ita esse ut concedas magis iam commovearis, si contuleris epistulae non modo versus 3/4:

„Troia iacet certe, Danais invisa puellis
Vix Priamus tanti totaque Troia fuit,“

sed etiam totum argumentum cum verbis Artis, quae loco modo allato de rescribendo statim praecedentia conscripsit poeta 477/478:

„Penelopen ipsam, persta modo, tempore vinces[3])
Capta vides sero Pergama, capta tamen.“

Eaedem igitur sententiae eodem nexu obversatae sunt Nasoni in Artis loco quae in epistulae initio. Unde interim si non alius rei, certe eiusdem sententiarum temporis suspicionem moves,

---

[1]) De ironia huius iudicii, cf. cap. I, p. 136 ann.

[2]) De necessitudine inter Artem Amores Heroides Remedia constante infra hoc illud attingemus. cf. etiam cap. I, p. 174 ann. 1.

[3]) De sententiae huius inventione v. i. Illudit Artis auctor lascivissimus praeclaras partes, quas poetae praecipue aequales Penelopae tribuerunt, cf. e. g. Prop. II, 6. 23; IV, 12. 24. 10; V, 5. 7 — atque necessitudinem quandam intercedere inter Prop. II, 9. 3 et Ovid. ep. I, 115, am. III, 4. 23, a. a. III, 15, am. III, 9. 29 animadvertit iam Aug. Otto: de fabulis Propertianis I, p. 39/40. — Aliter nimirum loquitur Ov. exilii tempore, quo Penelopae uxorisque castitatem et fidelitatem laudibus effert, cf. Trist. I, 6. 9—22; V, 5. 51. 8; V, 14. 35—40, e Ponto II, 1. 105. 112; cf. Lueneburg: „De Ovidio sui imitatore“, Diss. Regiom. 1888, p. 62 sq.

praesertim cum una ab altera excipiatur et continuetur. Heroides autem ipsas ante Artem conscriptas esse notum est. — At licet longius procedere. Birtius[1]) enim versum quartum epistulae:

„Vix Priamus tanti totaque Troia fuit"

plane ineptum esse et obscurum censuit, nisi Burmanni[2]) coniectura accepta in v. 3

„Troia iacet certe, Danais invisa puellis"

pro „certe" legeris „per te". At male ita deletur, quod ingeniose voluit poeta. Voculae enim „tanti" quae in distichi quidem tenore sine certa relatione posita videtur, optima tamen relatio inest, dummodo concedas fungi huius distichi sententiam propositionis (ὑποθέσεως) munere, praeludentem quasi toti carmini: „versuum 3/4 generalis sententia illustrabitur in propria Penelopae causa, utpote quae gaudere nequit Troiam tandem captam esse (cf. Artis locum l.), sed usque queritur miserias suas denuo exstare" (tanti = tanta cura tantisque miseriis, et virorum et uxorum, dignum — quanta scilicet statim descripturus est poeta).[3]) De argumento[4]) autem in disticho 3/4 deprehendendo recte nos iudicasse appareat interim vel ex totius carminis ratione consilioque, cf. imprimis vv 23/4, 47/8, 51/2 (usque ad 56), 67/8, qui omnes illius bipertiti argumenti variationem redolent haud fortuito in gravibus locis carminis positi (v. i.).

Accedit, quod secundum distichon in sermonis processu, qualem quidem nunc habemus, mire a poeta conscriptum est, ita ut in magnas intellegendi angustias lectores incidere non modo possint, sed debeant. Patent enim hae interpretandi viae:

1. continuant vv 3/4 sententiam ineuntis distichi: lentus abes; minime autem causa absentiae tuae Troia nondum capta est (cf. „certe").[5])

---

[1]) l. l. p. 859.

[2]) Hubertinus interpunxerat: „certe Danais invisa puellis".

[3]) Tali propositione opus erat eo magis, quod primam Penelopa declamat, quasi Troia nondum capta sit.

[4]) Similiter iam Lennepius in annot. (1812).

[5]) Ita fere Ruhnken (dict. ad her.), Ehwald (Burs. ann. XXXI, 181), cf. Jurenka, p. 20. Quod ut ita intellegeretur suadebatur fortasse versibus Sabinianis 13/14: Non me Troia tenet Graiis odiosa puellis Jam cinis et tantum flebile Troia solum.

2. disticho 3/4 nil continetur nisi huius oppositionis sententia: „capta quidem Troia est („certe“), at minime tantis laboribus miseriisque digna fuit (quanta scil. Penelopa timoris sui fuisse exponet)“. Unde apparet iam pentametro 4 priorem illam interpretandi rationem valde dissuaderi, ita ut vv 3/4 ab Ovidio concepti esse videantur nullo disticho praemisso.

Quomodo vero fluit oratio a versibus 3/4 ad versus qui sequuntur? Nonne languidi illi videntur, nisi data opera plane per se atque tantummodo propositionis instar conscripti sunt? Nonne optimum exordium ipsum carmini partim declamatorio, partim elegiaco hoc fuit, vv 5 sqq.:

„O utinam tum cum Lacedaemona classe petebat
  Obrutus insanis esset adulter aquis!
Non ego deserto iacuissem frigida lecto,
  Non quererer tardos ire relicta dies
Nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem
  Lassasset viduas pendula tela manus
Quando ego non timui graviora pericula veris?
  Res est solliciti plena timoris Amor.“ [1])

[1]) Ovidium iuvenilia carmina quam lubentissime talibus prooemiis instruxisse apparet ex Amoribus, cf. Buerger, l. l., p. 13. Quod autem attinet ad Amor. II, 11 eleg. vereor ne Ov. qua erat lascivitate Ennianae Medeae (simul Euripideae; de Ovidi Medea fabula alibi accurate est agendum; obiter de hac Tolkiehn, Wochschr. f. klass. Phil. 1905, p. 1208 sqq.: quod disseruit Smolka (Lemberg. 1906) lingua Polonica usus inspicere nequii) initium longius repetitum (cf. Cic. de fin. I, 2. 4, Rhet. ad Her. II, 22. 34, de fato 15. 35) voluerit per ludibrium torquere, praesertim cum propempticon Propertianum I, 8 (cf. Buerger, p. 12) imitans ipsum prooemium de suo addiderit. Sed quamquam eandem ironiam in epistulae severioris exordio statuere non debemus, tamen memorabile est Amorum elegiam II, 11 et Penelopae declamationem multis in rebus concinere, cf. e. g. v 45 sq. elegiae. Id quoque multum huc valet, quod her. III, 117/8 paene ad verbum repetitur sententia amor. II, 11. 31/2 et clarissimus Amor. II, 11. 10 versus laudatus est apud Senecam (controv. II, 2. 11) magistrum declamationum. Priores autem heroidum declamationes una cum Amoribus si non in lucem editas, at certe conceptas esse mihi quidem constat. — Hac data occasione paucis dicere liceat de Ovidio quid censuerit de Ennii poesi. Cuius notissimae sunt censurae Am. I, 15, Trist. lib. II. Ubi artis vocabulum (cf. etiam Vahlen, Enn. poes. rell. 1903, praef. LXI) spectat ad artem rhetoricam, cuius profecto admodum infantia primordia (ac-

Quid? hoc exordium nonne ita conscriptum est quasi nulla omnino cogitatio praemissa sit? Quibus in versibus una cum querela topica[1]) heroidos quasi innexa rerum περίστασις ut aiunt rhetores eleganter proponitur. — Ut autem breviter loquar: iam nunc suadetur poetam postea aliquando (fortasse Artis[2]) tempore), carminis initium in novam formam redegisse. Quaerendum erit, num aliunde talis retractationis vestigia indagari possint. Certiora autem indicia non exstabunt, quam quibus probari liceat veram carminis naturam initio ab epistulae condicione alienam fuisse.

Quocirca primum attingamus opus est sententiarum usum

---

curatius observanda [cf. Leo, Plautin. Forschungen, p. 88], e. g. in Medeae argumentis Ennii Ovidii Senecae comparandis) inveniuntur in Ennio. Atque nescio an altera ex parte similiter etiam Tulliani iudicii molestia de Lucretio poeta (ad Quint. fratr. II, 9. 3) tandem tolli possit „poemata Lucretii multis ingenii luminibus, magnae tamen artis": artis i. e. quod dicimus „künstlich".

¹) Exempla collegit Tolkiehn, Quaest., p. 40 sq.

²) Docuit Aug. Wilhelm („Satura Viadrina", Vratisl. 1896, p. 48) Artis commemorationem similitudinum de gutta lapidem cavante e. q. s. referendam esse ad Tibulli auctoritatem (I, 4. 15—20). [Praeterea cf. e. g. Lucr. I, 311; IV, 1279. Ov. e Ponto IV, 10. 5; II, 7. 39. 43 cf. Anton. Zingerle „Ovid u. s. Verh. z. d. Vorg. u. gleichz. röm. D." Oenip. 1869—71, I, p. 60; II, p. 14.] Desunt autem apud Tibullum novae Ovidianae sententiae de Penelopa (Hor. sat. II, 5. 73—83 aliter conscriptum est) Pergamisque — quarum haec nusquam invenitur nisi apud Aristaenetum (ep. I, 17 Ξενοπείθης Δημαρέτῳ) Quid iudicas? An refugiendum est Buergero duce (p. 68) ad Alexandrinum poetam, qui huius sententiae auctor fuerit? Sane adamarunt viri docti siquid novi invenerunt in poetis Augustei potissimum aevi non modo ex fontibus Alexandrinis derivare, sed etiam deficientibus eorum exemplaribus obscuros ignotosque auctores odorari — quasi poetae Romani omnibus suis animi cogitationibus motibusque caruerint. In mentem venit simillimum Cartauletii viri docti iudicium (A propos du Corpus Tibull. Paris. 1906, cf. W. f. kl. Phil. 1908, p. 767 sq.): „ces jeunes hommes (Tibull. Propert. Ovid.), d'un temperament ardent, seraient, s'ils revenaient au jour, assurément stupéfaits de se voir transformés par de doctes commentateurs en simples machines à écrire." — Aristaenetum quidem ab Alexandrinis pendere minime ipsi negamus suadente Diltheio („Cydippa" passim). At cur tandem Artis auctor lascivus parvulo passu proprio illuc non ipse pervenit?

rhetoricum[1]) apud Ovidium quoque agnoscendum.[2]) Toti enim poemati haud fortuito sententiam quasi primariam in fine exordii praemitti puto hanc, v 12

„Res est solliciti plena timoris amor.“

Quod sane elegiace dictum solito rhetorum more qualicumque ratione,[3]) ut illustrentur curae coniugis, proprie iteratur per totam declamationem. Praecipue afferri possunt haec:

v 13 in te fingebam violentos Troas ituros.[4])
v 14 nomine in Hectoreo pallida semper eram.
v 16 Antilochus nostri causa timoris[5]) erat.[6])
v 20 Tlepolemi leto cura novata mea est
v 22 Frigidius glacie pectus amantis erat.

Nec non in altera parte dictionis illa timoris sententia aperte arripiebatur a poeta: cf. vv 41—44, imprimis vv 45 sq.:

---

[1]) Cf. Norden, „Antike Kunstprosa“ (1898), tom. I, p. 280 sq. Cf. praecipue Quintil. VIII, 5. 31: „Non multas plerique sententias dicunt, sed omnia tamquam sententias.“

[2]) Cf. ep. IV, 9. 11/2; V, 7/8; XII, 21; XIV, 14. Cf. etiam Ehwald, „Exeget. Commentar z. 14. Her.“ (1900), p. 12.

[3]) Facile agnoscis παράφρασιν rhetorum, de qua cf. Leo: „De Stati silvis“, Gott. 1892/3, p. 8/9.

[4]) De usu apodoseon (post „sive“ particulas) cf. cap. II, p. 205, ep. IV, vv 79 sq. Buerger, p. 83.

[5]) Non est vera offensio in (cf. v 15) Antilocho ab Hectore interfecto propter vv 14. 17. 21 (cf. Tolkiehn, „Homer u. d. r. P.“, p. 144/5 ann.), desparavit e. g. Lehrsius (p. CCXXVIII) ac perdiderunt postea operam qui studuerunt, ut aut errorem Nasonis hic statuerent (velut Anderson) aut textum mutarent (velut Housman, Class. rev. 1897: „Ab hoste revictum“) aut versum tantum modo ad fugam, non ad mortem Antilochi referrent (Ehwald, Berl. phil. Wochschr. 1896, p. 1515. Burs. ann. 109. 249, coll. Il. XV, 585). — Tales morositates nihil valent in Ovidio. Accedit, quod paene stili fuit hoc loco affectati (sive, sive, sive — quisquis) singulas res quodam modo in incerto collocare: ac profecto nihil interfuisse heroidos de coniuge sollicitae accuratius enarrare quae verae personae et interfecti et interfectores fuissent sane apertius indicare nequiit poeta, quam stilo ipso apodoseon, imprimis autem enumeratione tamquam totius enumerationis 21/2: denique, quisquis erat castris iugulatus Achivis frigidius glacie pectus amantis erat?

[6]) Apparet igitur „doloris“ (*Eω* Bentley) necessario non Ovidii esse (item „causa“ „poena“ o v 20 pro „cura“). Accedit Sabinianum illud (v 17) „Et quicumque tui causa timoris erat.“

„Usque metu micuere sinus dum victor amicum
Dictus es Ismariis isse per agmen equis.“

vv 69/70:

Scirem ubi pugnares et tantum bella timerem
Et mea cum multis iuncta querela foret.

vv 71/72:

Quid timeam ignoro; timeo tamen omnia demens
Et patet in curas area lata meas.

vv 73/74, maxime autem 75/6:

Haec ego dum stulte metuo, quae vestra libido est,
Esse peregrino captus amore potes.

Vides igitur, qualis cogitatio, vere elegiaca, una toti declamationi fundamento fuerit. Iam vero quomodo dictionis res disponere placuit poetae? [1])

Summam certe rationem carmen disponendi desumpsit Ovidius a temporis ordine, quo gestae sunt illae Troianae res. Agitur enim primordio deprompto a fatali Paridos adulterio primum de periculis, quae cum Graecorum heroibus, tum Ulissi ante Troianos muros subeunda fuisse opinatur Penelopa, deinde de Troia expugnata Graecisque victoribus redeuntibus, tum de Ulisse nondum reverso atque fortasse novis ignotisque periculis et aequoris et telluris misere opposito. [Postremo pericula assuuntur quae interea Penelopae ipsi domi obstant, sed v. i.]

Ubique autem subaudiri vult Ovidius praeter primariam anxietatis sententiam quod pronuntiaverat Penelopa v 11: „Quando ego non timui graviora pericula veris“ [2]) — quasi Ulisses feliciter iam redierit! Atque apparet poetam cum Homeri carmina animo percurrit ratione consilioque temporum ordinem ideo in narratione sua sequi, ut argumenta coniugialem curam probandi

[1]) In argumenti enarratione acquiescere solent viri docti, velut Jurenka l. l., p. 20 sq. Tolkiehn, p. 57 sq. „Homer“ κτλ., p. 142 sq., quaeritur autem primum, quomodo res disponere voluerit poeta, deinde quomodo hoc ipsum efficere nequierit. Seneca, controv. II, 2. 9, sic quoque accipi vult.

[2]) Apparet auctor ironicus; simulque suspicio quaedam movetur Ovidium initio Penelopam revera Ulisse iam reverso declamantem fictum fuisse cf. iacuissem, lassasset. — „lassaret“ coniectura est Etonensis auctoris epistulae condicionem urgentis.

aptissima non modo proponat, sed etiam intus magis magisque augeat, idque cum ascendit argumento leviore quoque semoto continuo ad graviora quaedam. Quod quî effectum est? Audias quaeso poetam ipsum: Primae argumentandi partis (in te fingebam e. q. s) conclusio ita proponitur, vv 21/22:

„Denique quisquis erat castris iugulatus Achivis,
Frigidius glacie pectus amantis erat“

Quale timoris argumentum refutatur in hoc novae partis introitu:[1]) vv 23/4:

„Sed bene consuluit casto deus aequus amori:[2])
Versa est in cineres sospite Troia viro“ (+ sqq.).

At praemature Penelopam gavisam esse exponitur vv 47/48:

„Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
Ilios et murus quod fuit esse solum?“ e. q. s.

Accedunt[3]) vv 51/52:

„Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant“ e. q. s.

Quid autem rei sit de hoc novo tristitiae argumento discimus ex fusiore comploratione quae adicitur de misera absentia coniugis. [Postremo Penelopa cum iam nihil habeat quod queratur de Ulisse, vertitur ad narrandum quantis in miseriis ipsa versetur — scilicet suadendi[4]) causa Ulissi, ut quam celerrime revertatur. Hoc autem iam alienum esse a vero declamationis proposito facile iam nunc intelligitur.]

Haec vero sufficiat attulisse de primaria ratione quam Ovidius habuit in rebus disponendis. Unde satis licuit perspicere auctorem etiam hic plane rhetorice argumentari — etsi in causa quam maxime elegiaca.[5]) Restat ut demonstremus, quemadmodum

---

[1]) Ehwald (Burs. ann. XXXI, 173) nescio quo errore mavult vv 23/4 finem esse versuum 13sq. Quibus contra novam partem abrupte iniit Ov. conclusione subito effecta vv 21/2.

[2]) Tamquam ὑποφορᾶς quam dicunt rhetores artificio adhibito.

[3]) Qui cur additi sint v. i.

[4]) De verarum suasoriarum oeconomia, cf. cap. II.

[5]) Epicum argumentum quomodo in elegiacum mutatum sit apparet vel ex sententiis elegiacis, quas supra plurimum in carmine valere voluimus. Praeterea quod ad mores attinet Ovidianae heroidos, cf. Y. W. Sellar (l. l.): „What Penelope wants in Ovid is the quality that O. himself was so deficient in — dignity.“

et quibus de causis Ovidio hoc componendi consilium medio in conscribendo turbatum sit.

Ac primum quidem res est, ut diximus, de periculis quae subeunda fuerunt Achivis — quae Penelopa uxor elegiace pro amantis cura omnia Ulissi ipsi instantia finxit.[1]) (vv 13—22.) Hoc autem timoris „argumentum" celeriter atque repente reicitur versibus 23/24, quibus deis adiuvantibus Troiam optime tandem expugnatam esse idque sospite viro memoratur. Ubi id simul poeta indicavit bipertitam suam refutationem sese redditurum esse: „belli quidem pericula uxori non iam timenda sunt, cum primum Troia capta sit, deinde Troia etiam sospite viro[2]) capta sit. His perspectis si legeris versum 25: „Argolici rediere duces" e. q. s.. — quomodo Penelopam perrecturam esse censebis? Sane patebat pro proposito versuum 23/4 aptissima continuandi via haec: „Achivi omnes rediere atque narraverunt aliis, alii mihi Troiam expugnatam esse te salvo." — Quid autem maluit Ovidius? Maluit fallere omnem lectorum exspectationem, cum conscripsit elegiacam digressionem de Achivis domum feliciter redeuntibus Troianasque res narrantibus, de uxoribus puellisque reditu beatis e. q. s. Quo fit, ut plane oblitum esse putes poetam propositum, quod in refutandi argumentatione de timore coniugis positum erat.

Quid? Primum narratione redeuntium maritorum occasio oblata est poetae quam gratissima per miseram quandam dissimilitudinem lectorum animos eo adducendi, ut Penelopae uxoris condicionem quam infelix sit etiam hic[3]) [i. e. etsi in removendi timoris particula dictionis!] non ignorent. Deinde dubium non est, quin id initio in animo Nasonis fuerit, ut uno tempore elegiace transitum sibi pararet a redeuntibus Achivis cum ad Ulissis nondum reversi

---

[1]) Hoc fugit Petersium (p. 33).

[2]) Haud fortuito dubie dicitur „sospite viro". Quod spectare potest modo ad ducem urbem expugnantium (abl. instr.) id quod valde suadetur versibus huc respondentibus (v. i.) 47/8 „vestris disiecta lacertis Ilios", modo magis ad incolumem coniugem (abl. abs.) cf. v 44: „At bene cautus eras."

[3]) Obiter de his Jurenka, l. l. p. 20 et 22. Haec enim res quasi silentio supponitur ut causa quaedam argumento ipso inferior, quod quidem pertinet ad disponendi consilium.

narrationem tum ad Penelopae miram atque accuratissimam rerum gestarum notitiam excusandam.

Attamen misere delabenti tale consilium diluitur (v. s.) accedentibus ultro rebus quibusdam et ex elegiis[1]) amatoriis et ex Marone.[2]) Tantum enim abest, ut Ovidius exponat Graecorum duces etiam de sospite Ulisse rettulisse, ut quo propius accedit ad dígressionis finem, eo vehementius tristia verba faciat de Ulisse maxima pericula temere aggresso. Quo fit, ut in versus magis animum inducamus necesse sit poetam etiam nunc versari in argumentando de belli periculis instantibus Ulissi.

Sed ut paulisper subsistamus: apparuisse velim accuratae argumentationi rhetoricae valde nocuisse cum indolem nimis elegiacam Nasonis, tum vel maxime sententiam, quam primariam elegiae esse voluimus: „Res est solliciti plena timoris amor". Neque dubitari potest, quin concinnitati totius dictionis male obtrectatum sit duabus illis rationibus (et rhetor. et eleg.) sese non modo non adiuvantibus, sed etiam ubique immature destruentibus.

His autem in universum observatis certiora sciri possunt de singulis. Quod enim Ovidius dixit vv 31—36:[3])

[1]) Aliquid mero depingere vere elegiacum est, cf. am. II, 11. 49 (in eadem fere re), Tibull. I, 10. 32, hinc quoque ortum est illud paene ironicum a. a. II, 131—138 (v. i.); cf. etiam Buerger l. l., p. 100.

[2]) De Achivorum rebus gestis, cf. e. g. Aen. II, 29/30.

[3]) Notum est huc spectare Artis vv II, 122—142, ubi Ulissem videmus Calypsoni nymphae iterum iterumque roganti Troica facta diserte narrantem lepideque in harena litoris pingentem, nimirum ut demonstretur (cf. 123) in rebus amatoriis virorum quidem ingenium, imprimis facundiam, formositate plus valere. Atque cum Ov. etsi persimili, tamen alio modo iam in priore heroidos declamatione de eadem paene re egerit sua sponte ex verbis quae de Ulisse fiunt: „Ille referre aliter saepe solebat idem" apparet praeceptum *παραφράσεως* rhetoricum, quod multum posse in Nasone saepissime se ipsum imitante Leo aperuit „De Stati silvis", p. 9. At longius Leone licet procedere: Ovidium non modo *παραφράσεως* virtutem Ulissis suam fecisse, sed etiam revera totam fabellam sui ipsius causa, non Ulissis inseruisse etiam nunc probari potest ex totius regionis tenore accurate disquisito. Hodie id unum age memineris Ovidium personas praeceptoris amatorisque per totam Artem, ut in Remediis, commutasse. Accedit, quod O. sui ipsius facundiae probandae causa magis magisque neglexit, quod revera initioque huius ipsius facundiae argumentum fuerat. Nam cum finivit totam interpositionem versibus 139/42, plane rhetoricum colorem arripuit, unde non sine magna vi 143/4 ad veram docendi viam revertit.

„iamque aliquis posita monstrat fera proelia mensa
pingit et exiguo Pergama tota mero:
hac ibat Simois, hac est Sigeia tellus,
hic steterat Priamus regia celsa senis
illic Aeacides, illic tendebat Ulixes,
hic lacer admissos terruit Hector equos“

multis ex partibus valde mirum est, (v. s.) praesertim autem cum de Ulisse hoc loco verba fiant, quasi hic ipse non modo non summa totius carminis persona sit, sed etiam tantummodo quilibet Achivorum. Sed eum vehementer opinio fefellit, qui poetam non iam experrectum esse putet ex hisce somniis animum seducentibus. Statim enim — ut vv 37—40 interim omittam — diligentius quam antea de Ulisse agitur, ita quidem, ut pericula quae temere adiit plurimum in narratione nunc valere videantur. (v. s.) Quid? narraverunt in versibus 33—36 Achivorum principes belli res, omnibus autem hominum temporibus bella gesta narrantium et fuit et erit in nuntiis suis lubentissime ipsa pericula referre, quae cum aliis tum sibimet ipsis obstiterint. Quo pertinent verba — etsi poetae sunt — „fera proelia“ (v 31) c. q. s., praecipue autem: „hic lacer admissos terruit[1]) Hector equos“ (v 36). Attamen quamvis prudenter coercuerit hanc rem Ovidius, — ne digressionem conscriberet in digressione, — id quidem a se impetrare nequiit, ut omnino desereret Ulissem miris partibus in digressionis scaenam vocatum. Quid igitur facilius accidit, quam ut periculum illud — ne plura alienaque a loco verba faceret de belli periculis — superaret, cum de Ulissis ipsius periculis flebilem narrationem statim adiunxit? Vides igitur Ovidium naturae suae necessitate coactum non modo aberravisse, sed etiam talem in modum aberravisse ab argumentationis recta via.

Hanc tamen repente poetam recordatum esse arbitror eo temporis momento, cum conscripsit versum 44: „At bene cautus eras et memor ante mei!“ — praesertim cum medio in disticho hoc novum appareat. Quamobrem eos Ovidianum

---

¹) Frustra laedebatur Riese (Literar. Zentralblatt 1886, p. 898) voce „terruit“.

usum conscribendi praeteriisse certius fit, qui difficultate huius dicti repentini iubente versum 44 sive interrogationis sive ironiae esse voluerunt vel coniecturis vexaverunt versum omnium optimum. (Halbertsma: Tam bene, Damsté (l. l., p. 5): Haud bene [!]).

Eo igitur aperta via reversurus est poeta unde profectus erat ad refutandi timoris argumentationem (v 24). Verumtamen omnino frustra[1]) videtur nunc eniti, ut denuo applicetur consilio iam amisso, quia dictum illud: At bene cautus eras e. q. s., ut est artissime respondens summis discriminibus miseriisque (vv 39—43) explanatius expositis, nihil potest lectoribus ad percipiendum in hac declamandi parte auctorem timoris imagines quae quidem pertinebant ad belli Troiani pericula refutaturum fuisse. Contra efficitur (v. s.), ut poeta recurrisse quidem videatur, via autem recta tandem reperta iterum feliciusque procedere hic quidem noluisse (sed cf. ann. 1).

Atque Ovidio ipsi valde displicuit malus ille conscribendi casus: in versibus enim 45/6 qui continuo adiunguntur:

„Usque metu micuere sinus, dum victor amicum
Dictus es Ismariis isse per agmen equis“

tamquam invitus poeta confitetur refutationem suam alienum quendam colorem accepisse, cum sententiam principalem illam ex exordio arcessit et, quantum fieri potest pro carminis loco, illustrat: „etiam victorias quas peperit Ulixes — quas tamen prae periculis nimis neglexerat Penelopa — causas fuisse anxietatis.“

At in summas angustias nunc incurrit auctor: hoc enim distichon (45/6), quoniam tristitiae sententiam repetit, quam pessume[2]) idoneum est, quo muniatur transitus ad alterum anxietatis argumentum 47/48 sq., quippe quod nunc iam contra atque repente (cf. „Sed“!) ita proponitur, quasi refutatio curarum — ad belli discrimina pertinentium — statim et utique praemissa sit eaque nulla nimirum notione metuum inserta:

---

[1]) Brevi post haec res compensatur (vv 51—56) etsi haud ita apto loco (v. i.).

[2]) Contra Jurenkae constat (l. l. p. 26) hunc ipsum transitum optime a poeta paratum esse.

„Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
Ilios et murus quod fuit esse solum?" e. q. s.[1])

Quod nimis inepte accidisset, nisi ab Ovidio haec saltem verba relicta[2]) essent, quibus indicaretur transitus: (praeter vv 40 sq. 43) victor e. q. s. 45, vestris disiecta lacertis Ilios e. q. s. 47/8, victor abes 57.

Quibus accedit longior et elegiaca interpositio de locis rebusque Troiae expugnatae 51—56, quam Ovidius Vergilio[3]) duce pluribus conscribere haud alienum a se putavit, etsi apta hanc rem depingendi occasione iamdudum praetermissa mirus tantum locus praesto erat media in argumentatione de absentis coniugis periculis instituenda.

Quod autem attinet ad vv 45—48 (v. s.), id simul evicisse mihi videor Ovidium priusquam accederet ad carmen ipsum accurate conscribendum rei adumbrationem quandam litteris mandavisse, cum partes suas declamandi singulas paucis versibus enotavit. Eo autem tempore, cum inserturus fuit adumbrandi disticha, summae obsistebant difficultates argumentatione interim mutata. Sed ut pedem paululum sistamus: quid lucrati sumus de gravioribus huius partis controversiis? In universum didicimus prudentissime cavendum esse in Ovidio ut ingenio suo mire indulgente, ne versus hos illos transponamus aut subditicios habeamus, contra summa diligentia id agendum esse, ut Ovidium hic illic animo abundante a recta via conscribendi aberravisse atque incidisse in ambages cognoscamus. De singulis autem apparet e. g. Petersium[4]) morem Ovidianum carminisque tenorem

---

[1]) Hic versus semper difficultates praebuit viris doctis; cf. Sedlmayer, Proll. critica, p. 83. v. i. Ac totum quoque tale distichon Sedlmayero (comm. crit. p. 6) suspectum utique tenendum est: v. i. Infirmiores defensiones protulerunt Heydenreich, Philol. Rundsch. 1881; p. 408 sq. Riese, Liter. Zentralbl. 1881, p. 535, Jurenka l. l. p. 25/26.

[2]) Quod fugit Jurenkam l. l.

[3]) Erravit Tolkiehn (p. 63) Ovidium hunc locum de suo addidisse arbitrans: cf. Verg. Aen. X, 59/60; II, 324 sq. (325!); III, 11 Georg. I, 491—497: cf. Loersii et Andersonii annotationes.

[4]) De quo refellendo valde confirmaverimus Ehwaldii sententiam (Burs. ann. XXXI, 173) cf. etiam Jurenka, Zeitschr. f. östr. Gymnasien 1886, p. 186.

necessario turbatum parum perspexisse, cum transposuit versus hac serie: 22. 41—46. 23—36. 47 sq. —

Reliquum est, ut certioribus causis rem ad liquidum perducamus de versibus 37—40 conclamatissimis:

„Omnia namque tuo senior, te quaerere misso
Rettulerat gnato Nestor, at ille mihi,
Rettulit et ferro Rhesumque Dolonaque caesos
Utque sit hic somno proditus, ille dolo."

Quorum viri docti alii utrumque distichon secluserunt,[1] alii alterum,[2] offensiones quasdam minores (velut de „dolo" repetito verbo) alii coniecturis[3]) tollere conati sunt, alii excusare cum exempla talium repetitionum attulerunt.[4] Quid indicas? Monendum erat Ovidio, quemadmodum Penelopa certior facta sit non modo de Troia capta, sed etiam de Ulisse sospite. Quod expositurus erat, cum verba facere coepit de Argolicis redeuntibus, verum exponere omisit, postquam elegiace in digressionem incidit de rebus revertentium ipsorum. Qui nunc iam in narrationibus suis commemoraverunt quidem Ulissem, tantum tamen in transcursu, atque tamquam merae temeritatis partium causa. Ut autem significaret a consilio suo sese descivisse atque minus ex Penelopae animo sese locutum esse, quam ex suo, imprimis autem ut fictionem suam de heroide loquente postea quidem fulciret: alio modo declarare debuit Ovidius, unde tandem Ulissis uxor nuntios illos accuratissimos accepisset. Haerenti autem oblatum est ab Homero iter quod ut patrem quaereret fecit Telemachus ad Nestorem senem, ita ut iam hic inducatur[5] pro auctore nuntiorum vel totius narrationis.

---

[1]) Bentleio duce G. Peters l. l. p. 32 sq.

[2]) Damsté l. l., p. 4.

[3]) Coniecerunt vvdd. (cf. Sedlm. ann.): ille vigil, ille lucro, ille metu, ille gradu.

[4]) Cf. Sedlmayer, Wiener Studien 1880, p. 293—295. Proll. critica p. 90. Nuperrime H. Darnley Naylor, Classical review (XXI) 1907, p. 44, hac Leeperi sententia in universum quidem probata: „The Greek and Roman writers were not nearly so sensitive as ourselves to such repetitions." Conservavit vv 37—40 etiam Jurenka l. l. p. 23.

[5]) Cf. vv 63 sq.

Neque vero insolitum est, quod sane simpliciter Ovidius dixit, tamquam ut postea semet ipsum interpretaretur „namque" [1]) (cf. ep. IV, v 51: „namque mihi referunt cum se furor ille remisit" in eadem fere mala conscribendi fortuna (cf. cap. II, p. 202)) neque debemus viris doctis assentiri arbitrantibus plusquamperfectum illud „rettulerat" pessume abhorrere a totius narrationis usu temporum (cf. fumant, ponitur, ferunt, canunt, monstrat, pingit). [2]) Satis enim superque demonstraverimus hoc disticho postea si non digressionem, tamen Penelopam excusari, quippe quae nullis hucusque allatis auctoribus singulas Argivorum res ut praesentes tam accurate enarraverat. Unde facile concedes utique poetae dicendum fuisse „rettulerat", praesertim cum quod argumentatione turbata in posteriore loco collocatum est, revera toti huic dictionis particulae pro fundamento antecederet. — Eodem pervenimus aliunde: debuit poeta postquam in digressione Ulissem plane strictim attigit Penelopae coniugem insigniorem facere. Quod ut efficeret pluribus statim, primaria timoris sententia accedente, exposuit Ulissis non tam res ipsas gestas, quam discrimina misera. [3]) Sed quoniam Ovidius ut diximus, Ulissem coniugem nimis neglexit in narrationibus illis, nunc iam opus erat nuntium quendam proprium effingere de eo ipso. Coniungebatur autem in animo poetae cum hac consideratione illa de auctore narrationum illustrando, ita ut nasceretur distichon 37/8, cui accuratius illud de Ulisse (39/40) continuo subiungere debuit Penelopa, — praesertim cum facilius statim a v. 36 in pericula enarranda (v. 41 sq.) se conferre potuit, quam ab uno disticho 37/8 inserto. His tamen versibus minime inutilem quandam repetitionem sententiarum contineri apparet vel ex eo, quod vv 39/40 tamquam Ovidii sunt secreto loquentis succurrentisque Penelopae elegiace in declamando delapsae neque ullam opinionem adiectam continent aut heroidos aut poetae,

---

[1]) Quod primis digitis attigit Ehwald, Burs. ann. XXXI, 173.

[2]) Sine ullo iure haesit Lehrsius (p. CCXXVIII) in praesentibus huius narrationis temporibus. Versamur enim (v. s.) in elegiaca digressione a vero conscribendi tempore paene necessario aberrante. Cf. etiam Jurenka, p. 22.

[3]) Hilariorem huius loci rem initio fuisse in animo poetae de Troia capta atque de victore sospiteque coniuge (v. s.) huc non pertinet.

quae demum versibus 41 sq. praefixo illo argumento profertur.[1]) Qua in re iam nihil est, quo offendaris, nisi poetam temporibus mutatis loqui (rettulerat, rettulit).[2]) Sed hoc quoque sanum esse nunc iam liquet: „rettulerat" enim spectat ad partem carminis modo iam absolutam, „rettulit" verbo aliquid novi inducitur ut argumentum transitusque.

Dicat postremo quispiam interpolatorem nos defendere, non poetam. At ipse minime nego Ovidium ieiune languideque hic locutum esse,[3]) nisi quod concedendum esse arbitror poetae, praecipue tironi, si mala conscribendi fortuna lapsus est, vitia sua ipsum corrigere. Quo in negotio difficillimum erat, etiam optimo poetae, plane poetice scribere. Praeterea per totum carmen deprehendimus Ovidium primum certa dispositione rhetorice argumentaturum, deinde saepenumero mira animi licentia seducente elegiace a proposito aberrantem, postremo lapsus suos quantum potest paene ut sui ipsius interpretem corrigentem sive aperte indicantem. Ubique autem in hoc ipso carmine circumscribendi occasionem esse, dummodo Ovidium nil peccavisse persuasum habeas, satis superque demonstratum et sit et erit.

His tandem enodatis licet celerius procedere: novam argumentandi partem init Ovidius versibus 47 sq., quibus agitur de misera absentia Ulissis, videlicet ut uxoris curae (etsi iterum vanae sunt) denuo illustrentur atque augeantur. Neque mirum est, quod artius conscribit poeta vel quod parum id videtur nunc studere, ut quae proposuit timoris argumenta sicut in priore declamationis parte etiam refellat: nam cum Penelopam Ulisse nondum reverso[4]) nunc declamantem fingat quidem Ovidius, errores coniugis felici eventu fuisse interim dissimuletur oportet. Nihilominus etiamnunc plane ex illo quod voluimus proposito poetam dictioni operam dare cognosci potest cum ex toto timoris affectu

---

[1]) Damsteius etsi recte epitomen quandam hic agnovit, veram tamen vereque Ovidianam huius summarii naturam praeteriit.

[2]) Sentiri licet, quantopere Ovidius gavisus sit, quod tandem a digressione eiusque necessario praesentium temporum sermone ad ipsum propositum revertit.

[3]) Cf. Peters, l. l. p. 32.

[4]) Quamquam vereor ne initio dubitaverit de hoc statu Ovidius. Cf. pag. 233. 2.

hic ostentato atque ex sententiis metus iterum atque iterum iteratis (v. s.), tum vel maxime ex artificio, quo poeta heroidem oculos retorquentem facit ad leviorem argumentationis prioris statum, v 67/68:

„Utilius starent etiamnunc moenia Phoebi
Irascor votis heu levis ipsa meis“ e. q. s.[1])

Quibus denuo admonemur non modo nimiam fuisse anxietatem Penelopae, quod quidem pertinet ad belli pericula, sed etiam valde poetam dolere, quod rei natura postulante haec nova quoque curae argumenta hoc quidem loco non debeat refellere. Nihilosecius refutandi quoque timoris vel ascendendi ad gravius quoddam curarum argumentum reliquiae quidem hic elucent vv 75/76 sq.:

„Haec ego dum stulte timeo, quae vestra libido est,
Esse peregrino captus amore potes.“

Vides igitur non modo pericula Ulissis in versus magis amplificari, sed etiam pro elegiaca dictionis indole Penelopam paene properare ad afferendum id discrimen, quo nullum vehementius timetur amanti uxori quodque constat nimirum in alius mulieris amore, quo inflammatus sit coniunx. — Id quoque memorabile est Ovidium, ut diligenter observavit mores mulierum, postquam aegre pro fictione sua sese continuit,[2]) quin amorem

[1]) Versum 68 aliter intellegi non posse persuasum habuerunt (cf. edd. Sedlm.: Ehw., alios) nisi ut parenthesin qua herois deprecetur hexametri ipsius votum. Ac profecto mirum est, quod de votis Troiae expugnandae Penelopa nusquam verba fecerat. Quod tamen nihil est in Ovidio, praesertim cum vv 23/4 non voventis, at pro votis optime solutis gratias agentis sint. praeterea cf. Lennepii ann. (p. 171), qui tamen nescio quo iure versu 67 votum contineri negat.

[2]) Quod hic omittere debebat quam celerrime pluribus exposuit Ovidius in Arte Remediisque (a. a. II, 129—142; rem. am. 263—288) ubi heroidibus I et VII (cf. cap. I) imitatione ludicre expressis valde cavendum est, ne fontes proprios desideres fabularum cum Homero certe discrepantium. Minime acquiescit Naso in traditarum fabb. traditis formis repetendis, sed ironia quadam poetica ad qualemcumque rem sive mutandam sive fingendam accedit atque non modo summopere gaudet si quid novi enatum sit, sed etiam prorsus pro nihilo putat si omne verae rei argumentum ex nimio formae studio consumptum sit.

sive Calypsus sive Circes nymphas nominando aperiret, ilico illi suspicioni addidisse hos versus cum mulieribus tum Penelopa ipsa quam dignissimos: vv 77/8:

„Forsitan et narres, quam sit tibi rustica coniunx,
Quae tantum lanas non sinat esse rudes.“

Quibus tamen satis aperte, e contrario quasi, indicavit poeta sese revera de nymphis illis Homericis cogitare, quippe quae — ut erant deae atque veneficae — sicut mortales feminas ita Penelopam si non moribus certe ingenio atque forma multo superabant. Sed ne hic quidem acquiescens protinus iubet Ovidius, recordatus quod Penelopam non modo pericula veris graviora timentem facere voluerat, sed etiam ipsam supervacaneae anxietatis haud iam inconsciam, crimen illud adulterii elegiace revocare mulierem: 79/80. Et quo facilius lectores sentiant poetam hic citato gradu ad summam verticemque totius declamationis sese proripere adiunguntur disticha haec grandiloqua de Penelopa semper Ulissis coniuge futura fidelissima quamvis Icario patre invito (81—84).

„Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit et immensas increpet usque moras.
Increpet usque licet! tua sum, tua dicar oportet
Penelope coniunx, semper Ulissis ero!“

Quali sententiae altera ex parte ironiae cuiusdam acerbitatem intulit Naso, cum substruxit oppositionem interiorem inter Ulissis „libidinem“ atque fidum Penelopae amorem. Neque enim fortuito „Me“ vocula in initio versus 81 posita est („quae v e s t r a libido est“ 75).

Iam vero iterum recedamus ad huius alterius partis hos illos versus singulos. Versus 47 sq.[1]) quos seclusit Sedlmayer (comm.

En quam frustra refugerunt viri docti ad Alexandrinum quemlibet auctorem Aug. Otto de fabulis Propertianis I, p. 39; Rothstein ad Prop. (ed.) I, 15. 9—14. E. Maaſs, „Orpheus“, p. 279, ann. 67 (Philetas!). Rohde, „Gr. Roman“², 104 [cf. etiam Tolkiehn, „Homer“ p. 200] Castiglioni p. 54).

[1]) Non est iusta interpretum offensio de stilo grammatico huius distichi, cf. Palm. ann. — Sin autem nihilominus dictum nimis quaesitum non admittis: „murus quod fuit esse solum“, praesto est medela, qua

crit. p. 11), non modo genuinos esse, sed etiam nullo pacto omitti posse vel ex carminis dispositione satis apparuit. Quin etiam conicere licuit arte disquisita, qua transitus hic constituitur etsi a proposito vero iam amisso, vv 47/8 illorum lineamentorum esse, quae priusquam totum carmen litteris mandaret disponendi causa conscripsit poeta posteaque in carmen ipsum locis consentaneis inseruit. Multum deinde habet momenti, quod hoc distichon graviter videtur opponi atque respondere versibus 23/4: cf. vestris disiecta lacertis Ilios > versa est in cineres sospite Troia viro, bene consuluit > quid prodest![1]) Quod iterum optime cadit in verum carminis tenorem, uno autem tempore idoneum est, quo excusetur Ovidius, cum in disticho 47/48 simillimas res (atque in vv 23/4) etsi similibus, tamen novis verbis iterare debuit atque accomodare contrariae cuidam sententiae. Quo factum est, ut poeta in sermonem quaesitiorem valde a viris doctis accusatum non incidere paene nequiret.

Sed absolvamus desideres graviorem quaestionem, de versibus 51 sq. (—56):

„Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant,
Incola captivo quae bove victor arat.
Iam seges est, ubi Troia fuit resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
Ossa ruinosas occulit herba domos.“

De quibus quid revera negotii sit adhuc fugisse videtur viros doctos.[2]) His enim repeti sententiam versuum 47/8 aliis

---

non dico tollere, tamen tolerare possimus talem molestiam. Nam si legeris „Ilion et murum quo (vel „quid“ codd. o praebent „quo“ et „qui“!) fuit esse solum“ ilico minus aegre fertur paululum literatura mutata repentina mutatio constructionis grammaticae (nom. c. partic. + acc. c. inf.), quippe quod duo nunc exsistunt propria enuntiata: „Quid prodest“ e. q. s. et „quo fuit“ („wozu“). Recentiorum tantum Riesii coniecturam affero (Literar. Zentralbl. 1881, p. 585) „qua fuit“.

[1]) Rectum videtur sensisse Riese (l. l.), cum negavit „Sed“ notione nos carere posse.

[2]) De Lehrsii maledictis taceo. deinde quas profert offensiones Jurenka p. 26/7 velut de „restant“ meas facere nequeo.

valde displicuit[1]), aliis placuit obiter excusare.[2]) Ac primum quidem videatur Ovidius nihil aliud hoc loco agere, nisi ut *παραφράσεως* usu rhetorico eandem sententiam similiter iteret continuetve. At aliter res se habet. Supra enim iam attigimus poetam in prioris argumentationis posteriore parte de Troiae expugnatione qualis facta sit agere etsi pro proposito debuisse, tamen neglexisse. Ut autem hoc vitium quam primum corrigatur, arripitur occasio in disticho 47/8 oblata. Ac paene necessario accidit, ut quo facilius a conclusionis transitusque sententia ad novas illas res depingendas perveniret, *παραφράσεως* artificio usus sit Ovidius, solis nimirum rebus novae sententiae idoneis repetitis. Deinde quod nimia verborum sententiarumque audacia auctor hic exultat, moneo ei complures locos Vergilianos etiam hic ante oculos versatos esse, qui omnes in unius sententiae formam redigendi atque suo quisque loco accommodandi videbantur.[3]) Qua in re longius poetam processisse atque probabilitatis speciem admodum pro nihilo putasse tironi oro ignoscatis.

Revera autem versus 51—56 nonnisi pro correctione quadam atque non iam idoneo loco insertos esse a poeta, inde quoque patet, quod initio aptissime Penelopa in oratione sua delapsa est a versibus 47—50 (vestris disiecta lacertis Ilios — abest) extemplo ad vv 57 sq. (victor abes.), deinde, praesertim cum in ipso versus 57 initio magna voce locuta sit de victore Ulisse (absente), hanc rem nunc iam diligentius tractare denuo visum est poetae, quippe quam in priore parte carminis praeter ipsius

---

[1]) Velut Sedlmayero, comm. crit. p. 6.

[2]) Heydenreichio, Riesio, Jurenkae, aliis. v. s.

[3]) Cf. Aen. X, 59/60; II, 324 sq. „venit summa dies et ineluctabile tempus Dardaniae. fuimus Troes, fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum" (cf. Piéri p. 55); III, 11 „campos ubi Troia fuit" Georg. I, 491 sqq. „nec fuit indignum superis bis sanguine nostro Emathiam et latos Haemi pinguescere campos. Scilicet et tempus veniet cum finibus illis agricola incurvo terram molitus aratro exesa inveniet scabra robigine pila aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris"! Nihilosecius ait Anderson p. 33: „There is no trace of intentional imitation of any single poem." Cf. Senecae suasor. III, 7 (de Fusco et alumno Ovidio Vergilii asseclis): quod in multis versibus Vergilii fecerat, non subripiendi causa, sed palam mutuandi, hoc animo ut vellet agnosci.

opinionem (v. s.) obscuraverat. Insiticii igitur sunt vv 51—56, attamen Ovidii ipsius auctoris (poema suum retractantis). Ut autem gradum disserendi celeremus, propono vv 59—66:

„Quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim
ille mihi de te multa rogatus abit
quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
traditur huic digitis charta novata meis.
nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva,
misimus: incerta est fama remissa Pylo,
misimus et Sparten: Sparte quoque nescia veri
quas habitas terras, aut ubi lentus abes?'

Quid? Nonne subaudis vv 61/62, quibus via epistolaris tamquam excusatur[1]), bono sermonis cursui vehementer obtrectare? Primum enim minuitur hoc disticho oppositionis quae prior fuit acies: quisquis, ille > nos: 59 > 63; deinde in poeta Sulmonensi aliquam additamenti suspicionem mihi movere solet assuta ut ita dicam „que" particula („quamque") cf. v 31, praecipue autem versus saepissime vituperati 37: Omnia namque[2]); postremo tota res verae epistulae ad Ulissem dandae etsi incertis in regionibus errantem haud ita probabiliter nec sine ironia[3]) quadam inventa est. Unde valde suadetur Ovidium postea vv 61/2 excogitasse[4]) et inseruisse, nimirum cum epist. formam huic quoque nudae declamationi inculcavit atque retractare debuit totum carmen. Vereor autem ne eodem spectet eiusdem distichi „novata" (charta) lectio optimi codicis G (man. 1)[5]), etsi nemo quantum scio eam hucusque ausus est defendere prae viliore illa „notata" ω. Quod tamen urgere interim omitto, dum certiora apparebunt testimonia de carmine retractato. —

---

[1]) Nihil novi docent Tolkiehn, p. 63; Anderson p. 24.

[2]) Languide fluit oratio etiam in versu 89 „inque".

[3]) Cf. pag. 136 ann. quod fefellit hucusque viros doctos, velut Ehwaldium „exeget. Comm. z. 14. Her." 1900, p. 9. Ironia autem eo acerbior erat, quod ipse Ovidius Penelopam attulit, ut totum (cf. Birt, mus. Rhen. XXXII, 393/4) heroidum corpus indicaret e Ponto IV, 16. 13. Nullo vero modo comparari potest Luciani locus a Buergero allatus (l. l. p. 34) verae hist. II, 29 de Ulissis epistula ad Calypson data.

[4]) Non sine Homero ipso adiutore, cf. ξ 122sqq., ρ 507sq. Cf. Ehwald, Berl. phil. Wochschr. 1889, p. 927.

[5]) Cf. p. 193, ann. 6.

Oritur ultima gravissimaque quaestio, quid tandem rei sit de fine carminis. Ubi non modo accumulantur cum Homero discrepantia, sed iure meritoque viri docti etiam quod ad sensum stilum seriem cogitationum attinet haerebant ut in singulis versibus ita in totis versuum regionibus, „iure meritoque“ inquam nisi quod crudeliter ea qua solent medela vexaverunt exitum laborantem, ut si quid mirum videbatur vel inconcinnum aut circumscriberent aut transponerent. Quid? omnino, subito neglegitur versibus 85—115, etsi hi quoque spectant ad curam quandam Penelopae, non modo omnis timoris sententiarum usus, qualem in ceteris partibus, praeter refutandi timoris locos scil., ubique deprehendimus, sed etiam argumentatio, quam antea agnovimus certa dispositione certoque consilio institutam de anxietate qua Penelopa non modo fuit, sed etiam frustra fuit (!) de coniuge. Contra nomina res iniuriae procorum enarrantur —, nulla alia mente videlicet, nisi ut depingantur inopiae Penelopae uxoris, Telemachi pueri, Laertis senis — quorum ipsorum infirmitas quanta sit ne quis ignoret bis in unum eundemque modum exponitur. Ecce quod iam alienum est a vero carminis prioris proposito: versatur Penelopa in suasoria eo nimirum pertinente, ut ubi primum possit redeat Ulixes — quam herois antea, i. e. in sola[1]) declamatione solius sollicitudinis qua erat de coniuge, nihil fere curaverat. Sin autem nihilominus pro explorato habeas usque a primo initio heroidem non solum anxietatem suam de coniuge expositurum, sed etiam pericula depicturam fuisse, quibus ipsa obiceretur procis superbis instantibus, denuo obsecro consideres primum totam argumentationem antea prolatam solum pertinere ad timores illos de coniuge absente proponendos semovendos amplificandos, deinde haud ita apte illud exordii dictum: „Quando ego non timui graviora pericula veris“ Penelopam de eis periculis elocuturam fuisse, quibus veriora atque praesentiora nempe non exstiterunt. Immo spectavit herois cum ita dixit satis aperte ad nullius discrimina, nisi Ulissis, quippe

[1]) Eius modi nudae declamationes Homericorum thematum tum Romae viguerunt; unum auctorem affero Lollium Maximum, cf. Horat. epist. II, II: Kieſsling, „coniectaneorum spicilegium IV“. Ind. lect. Gryph. 1887, p. III.

quae pro anxietate sua suspiciosa in maius extollere potuit debuitque ut erant sive ignota sive incerta. Porro quod ipsa illic Penelopa, ineunte insuper carmine, videtur subridere de curarum fictionibus feliciter veritate refutatis — quid tandem dicis de suasoria, quid de epistula? —

Cur vero Ovidius declamationi suae talem appendicem affixerit, nunc iam nemo sit, qui dubitet: postquam poeta, ut carmen suum declamatorium in ceterarum heroidum formam epistulae cogeret, initium epistolare praeposuit, non dico opus erat, attamen consentaneum finem quoque adiungere epistolarem, quo reditum coniugis non modo rogaret [1]) herois, sed etiam ex foci miseriis valde suaderet. Sin autem rem de huius suasoriae epistolaris appendice etiam nunc in dubio relinquendam esse malis, aliunde licet proficisci ad id quidem comprobandum finem epistulae ab Ovidio violenter adiectum esse.

Primum enim poeta versibus 79—84 eloquendi sonum valde amplificavit atque aperta quadam gradatione ad vv 83/84:

„tua sum, tua dicar oportet
Penelope coniunx semper Ulissis ero“!

tamquam ad summam [2]) totius carminis properans hanc ipsam sententiam ita proposuit, ut ultimo fine certe quam dignissima fuerit. Quin etiam fuerunt viri docti qui versus 81—84 ut verum exitum epistulae post v 116 collocandos esse conicerent (Sedlmayer in comm. crit. p. 6/7 assentiente Riesio, Literar. Zentralbl. 1881, p. 535). Ac profecto desideratur ipsi exeunti carmini verborum sententiarumque gravior quaedam vis. Unde tamen etsi versuum 81—84 res aptissime ad talem locum convenit, minime concludere possumus versus huc illinc transponendos esse, praesertim cum et optime et necessario priorem locum obtineant (v. s.). [3]) Utcumque autem res se habet,

---

[1]) Iterum apparet Artis praeceptum epistolare (I, 427 sqq.), quod iam ad initii palinodiam multum potuisse ostendimus (477—480): 440: „adde preces!“

[2]) Quam parum viri docti vestigia poetae presserint, docet e. g. Jurenkae (p. 21) schema exeuntis carminis: 81—96 (etsi vehementer incisum est post v 84!). 97—116. (81—86. 87—96 e. q. s!)

[3]) Cf. etiam Lennepii ann., Jurenka p. 30. Damsté p. 6/7.

vv 111—116 haud ita bonum exitum[1]) epistulae efficiunt, quamvis Birtius[2]), Jurenka, Damsteins, alii dissentiant.

Sed novis abundamus argumentis. Optimo enim iure vehementer invexerunt viri docti in vv 85/6, frustra tamen eas suppetias offensionibus suis afferentes, ut sive vv antecedentes (83/84) delerent (Bentley) sive versus ipsos (85/6), (velut Sedlmayer in comm. crit. p. 6, Peters, p. 34 sq.), sive varias coniecturas proferrent (Francius, Heinsius, Burmann, Riese, Birt). Ac negare nequis valde displicere, quod Penelopa vv 85/6 rem perpaulo ante iam absolutam — idque summa vi — non modo languide repetit, sed etiam contraria quadam sententia adiuncta omnino ad irritum redigit. Attamen diligentius locum contemplantibus sententiarum nexus defendi quidem[3]) potest, ita fere: „tamen, praeterquam quod frustra ille increpat, frangitur[4]) etiam postremo pietate mea [qua sum in te absentem procis quamvis vehementer instantibus], procorum autem vim superbiamque nec diutius tolerare nec tollere licet" — uno tamen eodemque tempore cognoscitur duas sententias hic a poeta confusas esse easque non sine detrimento quodam sententiae antecedentis (83/84). Cuius rei veram rationem praeterierunt viri docti, etsi — quod non difficile erat intellectu — versibus 85/6 transitus causa opus esse non ignorabant:[5]) Ovidius cum iterum ad carmen iam finitum accessit novas res in finis loco adiuncturus, incidit in summas difficultates, quo tandem modo efficeret transitum: debuit scil. quantum fieri potuit sese applicare ad sententias antecedentes, simul autem iam hic spectare ad novas res quas additurus fuit pro nova forma carminis. Ita autem sententiis utrimque confluentibus nascitur distichon illud mirificum 85/6, quo in duas tamquam partes sese torqueat Ovidius paene necesse est. — Qua

---

[1]) Dubitat Riese ed. praef. XIII: „finisne deest?" item Literar. Zentralblatt 1886, p. 898; atque eodem pertinet Pseudo-Ausonii huius carminis appendix (ed. Peiper app. XXIII) nec non fortasse insolitum librariorum silentium de finita epistula (in proximae ep. initio).

[2]) De Briseidos epistulae fine, quo revocat Birt (nunt. doct. Gott. 1882, p. 847) plane aliter res se habet.

[3]) Cf. pag. 249 ann. 3.

[4]) Frustra maluerat Peters „tangitur" coll. am. II, 4. 45; mett. II, 584.

[5]) Cf. Birt l. l.

una via non solum quaecumque exstiterunt difficultates de versibus 83—86 manifesto et necessario tolluntur, sed etiam quod indicavimus de poeta postea extra calcem prioris propositi decurrente certo stabilitur.

Accedit hoc: scatet ultima epistulae pars miseris molestiis etiam quod ad versuum collocationem attinet, ita ut viri docti alii aliam in seriem versus transposuerint (v. s.), alii alios circumscribere maluerint.[1]) Sed ut primo impetu appareat, qua meliore ratione niti possimus, hos versus tibi iuxta pono:

97/98 { 105—110 = 111—116:[2])

97/98: tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor,
Laertesque senex, Telemachusque puer[3])

105—110: sed neque Laertes ut qui sit inutilis armis
hostibus in mediis regna tenere potest
— Telemacho veniet, vivat modo, fortior aetas:
nunc erat auxiliis illa tuenda patris[4]) —
nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis
tu citius venias, portus et ara[5]) tuis!

111—116: est tibi sitque, precor, gnatus qui mollibus annis
in patrias artes erudiendus erat
respice Laerten: ut iam sua lumina condas,
extremum fati sustinet ille diem.
certe ego quae fueram te discedente puella
protinus ut venias, facta videbor anus.[6])

---

[1]) Qui contra studuerunt (vir doctus anonymus Zeitschr. f. Altert. 1837, p. 961; Damsté, Mnem. 1905, p. 6/7), ut versuum seriem qualis traditur in codicibus conservarent, sensum atque processum huic quoque versuum statui non aliter intulerunt, quam stili connexusque verborum vitiis atque incommodis pro nihilo putatis.

[2]) Sententias hic iterari minime nimirum fugit hunc illum interpretem, cf. Lehrs. l. l. Jurenka 27/8.

[3]) Ilico intercedunt elegiace animo indulgenti vv 99—102, quibus statim adiungitur iterum immature distichon 103/4.

[4]) Distichon 107/108 recte ut interpositionem tutatus est Leo, Deutsche Litztg. 1887, p. 88.

[5]) Frustra coniecit Riese, Lit. Zentralbl. 1886, 898: „portus et ora".

[6]) Haud fortuito occurrit Propertiana sententia II, 9. 7/8: „visura et quamvis numquam speraret Ulissem illum exspectando facta remansit anus" in epistolari quam volumus palinodia.

Hos versus, quibus omnibus uno argumento praemisso (97/8) easdem simillimasve et res et cogitationes accipimus, talem in modum exhibenti dubitari non iam potest, quin si non duplicem Nasonis ipsius recensionem[1]) hic deprehendamus, at certe poetam variationibus amplificationibusque molestissimis aegre versantem in carmine antea iam finito denuo finiendo.[2])

---

[1]) Hanc ipsam rem in transformationibus diu ambiguam nuperrime magnam probabilitatis speciem amisisse Magno viro docto iudice (Hermes [XL] 1905, p. 191—235) non mihi hic obicies. Eorum vero opinioni, qui iuvenilia heroidum carmina primo impetu primaque forma conscriptas esse atque foras editas (cf. Jurenka, Zeitschr. f. östr. Gymn. 1886, p. 185) fidem spero iam nullam fore.

[2]) Ni vero mavis poetam defendere hic lascivientem tricoli usu rhetorico, de quo cf. Leo, Analecta Plautina III, Gott. 1906.

Ann. 1. lege: conscripta, edita.

Vita.

Fridericus Eggerding Nordhusanus natus sum a. d. III. kal. Sept. anni 1884 patre Ottone, matre Elisabet e gente Wauer, quibus superstitibus valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium patriae urbis frequentavi, unde vere anni 1903 maturitatis testimonium adeptus Marpurgum me contuli, ut Graecis, Latinis, Germanicis litteris incumberem. Post ter senos menses almam matrem Gottingensem petii, vere anni 1906 Rostochium emigravi, uno anno post Halas.

Magistri fuerunt: Marpurgenses: Birt, Kalbfleisch, Maass, Thiele, Thumb, Vogt, Wrede — Gottingenses: Baumann, Dilthey (†), Mor. Heyne (†), Husserl, Leo, Meissner (nunc Regiomontanus), Ed. Schröder, Schwartz, Viertel, Wackernagel. Rostochienses: Erhardt, Golther, Kern (nunc Halensis), Kolbe, Plasberg, Watzinger. Halenses: Ebbinghaus, Fries, Kern, Robert, Strauch, Wissowa.

Quos omnes optime de me meritos, imprimis Kernium Leonemque, numquam desinam grato animo prosequi.